batur ex doctrina *Barth. l. Multum interest*, *num.2. ff. de condit. & demonst.* quam sequuntur *Bart. l. Matr. 2. n. 17. Silv. Matr. 5. q.10.* & commendat multis illustrans, *Felinus c. Ecclesia, n.14. vers.10. de consit.* ut docet non valere professum, si judex erret in fundamento jurisdictionis, licet vere eam habeat; ignorat tamen se habere, quod aperte probatur ex *l. Hoc autem §. Non defendi*, ibi, *constare prætori*, *ff. ex quib. caus. in possess.* sed similiter in nostro casu errat conjux ignarus in consensu, qui matr. fundamentum est, cum putet illum ferri in suam uxorem, ergo non valet. 3. quia invalide professus, vel voto invalido ligatus, nihil agit, si ex errore putans professionem, & votum valere, denuo profiteatur, aut voveat, nec sponsalia invalida ratificantur mutua habitatione, nisi adsit scientia eorum nullitatis: ut hæc omnia probavi l. 1. disp. 16. n. 7. quorum omnium ea est ratio, quod error, quo ille putat priorem actum valuisse, reddit involuntarium consensum posteriorem, ex eo manantem, ergo a fortiori idem error annullabit matr. quod summam libertatem petit, *c. Cum locum de sponf. 4.* quia ignorantia causa est involuntarii, etiamsi non sit error personæ, ut si credam me dare 10. vel pauperi, cum tamen dem 20. vel diviti, & ita impedietur in his casibus dominii translatio; ergo similiter in nostro casu, cum hic novus consensus procedat ex ignorantia. 5. quia hi renovantes consensum, non intendunt matr. denuo contrahere, putant enim jam legitime contractum esse, & nil volitum, quin præcognitum, ergo non contrahunt denuo: actus enim non operatur ultra agentium intentionem, *l Non omnis, init. ff. si cert. pet.* igitur non valebit matrimonium: ut enim valeret, oportet ut illo novo consensu contraheretur, cum prius esset omnino irritum. Et consi. quia conjux ignarus tantum intendit ratificare prius matrimonium, illudque approbare novo illo consensu, non tamen de novo celebrare, cum credat prius contractum, validum esse, sed quod nullum est, ratificari non potest, *c. Ad dissolvendum, de desponf. impub.* ibi, *nec accusatio locum habebit, cum non esset, quod legitime posset accusari*, ibi *gl. vers. Accusari*, multis hoc exornat & docet *Host.* multis testibus probans, *c. Dilectus, vers. Contrario, de sponf. & ibi Joann. Andr. n. 7. Anchar. n.3. Abb. c. Prudentiam, in princ. n. 19. de offic. deleg. idem Host. c.1. de eo, qui duxit in matr. fin.* ubi docet primum consensum invalidum ratificari non posse, ergo illud matr. invalidum non ratificatur novo illo consensu. 6. quia (ut dixi hoc 2. l. disp. 34. n. 2.) si quis ficte contrahat, & errore ductus, quo putabat illud matr. esse validum, verbis, vel facto consentiat, non est matr. ubi multos DD. retuli, ergo nec in nostro casu, cum hic consensus ex simili errore procedat, 7. quia si opposita sent. esset vera, frustra essent nova verba ad convalidandum prius matr. sed satis esset conjungi scientem conjugem ignoranti copula affectu maritali, ignorans enim cum putet esse matr. semper eo affectu accedit: quod manifeste patet, quia consensus magis facto, quam verbis demonstratur, *c. Dilecti, de appellat. & de quibus, ff. de legibus*, & ideo *l. Is, qui fidem, de sponf.* decernitur, sponsalia transire in matrimonium copula secuta: quia facto illo ostendebatur consensus de præsenti: sed hoc sufficere, est minus verum, ergo. Prob. minor, quia contrarium tenent fere omnes Doctores, ut *Gl. c.1. de eo, qui duxit matr. vers. Inscia*, ubi tractans an ratificetur prius matr. invalidum, si sublato impedimento ignorans conjugem carnaliter cognoscat, ait non ratificari, quia inquit, *In primo consensu, qui nullus fuit, videtur perdurare, & non alium approbare*. Idem. *Inn. ibi, fin.* his verbis, *nam ex consequentia prioris consensus, videtur ignorans cognoscere*. Idem *Host. ibi, initio Jo. Andr. ad ff. Ant. n.8. Anch. n 4. Card. paulo post princ. vers. Oppono, Henr. n.5. Alex. de Nevo, n.11 Præpos. n.1. fin.* Et ex Theologis, *Scotus 4. d.36. q. unica*, §. *Respondeo, primus consensus*, his verbis, *Si impedimentum non exprimatur personæ insciæ, ipsa in copula carnali sequenti non consentit novo consensu, sed tantum reddit in virtute prioris consensus, qui nullus fuit, & illum videtur approbare*. Idem *Abul.1. Reg.8 q.38. Enriq. l.11. de matr. c.3. n.6* Ad idem sunt alii DD. dicentes tunc sublato impedimento ratificari matr. per copulam, quando scientes impedimentum esse sublatum, cognoscunt se affectu uxorio, sic *Gl. c. Non debet vers. De cetero, de consang. Abb. ibi fine. Præpos. n.20. fine. Lozzes de matr. dub.12. n.14. Villalobos in comm. lit. M. n.68. Cov.* dicens esse communem sententiam, *4. decr. 2. p. cap.4. init. n. 5.* Et ex Theologis, *Ricard. 4. d.40. a.1. q.6. Supplem. Gabrielis 4. d.35. q.1. a.2. concl.3.* expresse docent multi, dicentes eum, qui servitutis ignarus duxit feminam, quam postea manumissionis inscius, affectu uxorio cognoscit, non revalidare ea copula prius matr. quia videtur ex antiquo consensu accedere, sit *Gl. c. fin. de coniug. servor. fin. & c. Si quis ingenuus, vers. Faciat, 2. q.2. Goffre t. Sum. t. de conj. serv. n.8. Rosella verb. Impedimentum, imped.3. n.2. Silv. Matr. 8. qu.2. dist.2. Tab. verb. Impedimentum, imped.1. q.12. n.13. Nav. sum. c.22. n. 33. Greg. Lop. l.4. 4. 5. p.4. verb. Noes ansi, Ant. Cuc. l.5. instit. maj. t.12. n.10. Perez l.5. ordin. tit.1. l.1. f.41. col.2. §. Septimo non habebunt*. Et ex Theologis *Adrian.4. materia de sponf. dub. 13. vers. Preterea tertio principaliter*, & addit *Adrian. sive verbis, sive factis contrahat: quia semper intelligitur ex priori consensu facere, nisi constet velle de novo contrahere, ubi prius matr. non valeret. Viguer. l. instit. c.16. §.7. vers. 2. imped. 2. Veracruz 3. p. speculi, a.12. conc.1. fi. & 1. p. a.29. fi. Angles florib. 1. p. de matr. q.10. de imped. erroris, a. 1. dub.1. concl.3. Enriq. l.11. de matr. c.9. fi. & c.10. n.4. Petr. de Ledes. de matr. q.52. a.1. dub.2. Philiarc. de offic. sacerd. t.1. p.2. l.2. c.5. imped.2.* Et in hanc partem magis inclinant *Sot. 4. dist. 35. qu.1. a.2. vers. Sed percontaris*, & *Lud. Lop. 2. p. instr. de matr. c.47. f.1118. col.2. vers. Præterea*, & reddit uterque hanc rationem, quia consensus ab initio nullus fuit, & illa ignorantia semper durat: quare culpa tunc non reputatur novus consensus. Ex his ergo omnibus concluditur in nostro casu non esse matrimonium, nec esse verum consensum, sufficientem ad matr. novum celebrandum, procedentem ex credulitate valoris prioris matr. Tandem probatur ex concessione bullæ cruciatæ facta commissario, ubi concessa ei dispensandi potestate cum iis, qui ignoranter in gradu prohibito contraxere, traditur illi forma, qua dispensatio concedenda est, his verbis, *altero impedimentum ignorante, prius de nullitate prioris consensus, certificato*, ergo clare sentit Pontifex hoc esse necessarium, ut consensus de novo præstitus, constituat matr. Pro hac sent. manifeste sunt DD. omnes allegati in 6. & 7. ratione: & pro ea est *Abul.1. Reg.8. q.38.* ubi agens de duobus infidelibus, qui viventibus prioribus conjugibus invalide contraxerant, hæc ait, *ut iis mortuis vere contrahant, requiritur novus consensus, & licet cohabitent, non præstant novum consensum, & non est matr. quia hunc consensum præstant illi, qui putant priorem consensum non sat esse, & se credunt prius non fuisse conjuges, at hi credunt se esse legitimos conjuges, & sic nunquam de novo consentiunt, ut sint conjuges, & non convalidatur matrimonium*; & videtur tenere *Verac. 1. p. spec. a.29. fi.* ubi ait requiri sublato impedimento novum utriusque consensum, & scire personam de novo consentientem, impedimentum esse sublatum: & tenent expresse *Nav. sum. c.22. n.47. & l.4. consil.1. de sponf. in 2. edit. consil.13. Ant. Cuc. l.5. instit. maj. t.12. n.82. & seq. Philiarc de offic. sacerd. t.1. p.2. l.2. c.13.* Addunt *Nav. & Philiarch* sufficere sic dicere. Suspicor te non esse virum meum, vel uxorem aliqua de causa, rogo ut causa tranquillitatis meæ iterum nos admittamus in conjuges.

Sit I. conclusio, multo probabilior est hæc 2. sent. quia innititur rationibus multo urgentioribus, nec approbo quod dicunt *Nav. & Philiarc. n. præc. fine, allegati*, nempe satis esse sic dicere. Suspicor te non esse meum virum, vel uxorem. Quia tituhans pro ignorante habetur, ut disp. hac, nu. 7. ex multis probavi: & ea ratione dixi non sufficere audisse uxoris servitutem, vel illius suspicionem, sed requiri, ut vir eam servitutem credens, accedat affectu uxorio: ergo similiter non satis erit si ex uxoris relaxatione, vir suspicetur prius matrimonium fuisse irritum, eo vel maxime, quod ex dicendi modo, potius credet esse vanum mulierum scrupulum. Tutior tamen modus est hic, quam si vir penitus ignoraret prioris matrim. nullitatem; nam hoc modo aliqualem illius notitiam haberet. Raro tamen consulerem, ut uxor hoc dicendi modo uteretur, qui magno exponitur periculo, & satis probabile est fore, ut viri animus minime quiescat, sed potius ipsam vexet, ut extorqueat, quam ob causam scrupulo nullitatis prioris matrimonii angatur: & ea non aperiente magnæ orientur dissensiones, maxime si vis sit zelotypus. 4

II. Conclusio, sufficeret, si novus ille consensus procederet ex cognitione æquivalente scientiæ nullitatis prioris matrimonii, licet alter conjux eam ignoraret: ut si conjux impedimenti conscius peteret ab alio sic, Me ita diligis, ut si non esset inter nos matr. denuo contraheres, ac ex nunc vis me in conjugem, ac si non fuisset validum, inter nos matrimonium prius contractum? Et respondeat alter: Ita volo: interrogansque, se quoque idem velle, dicat, Et data opera dixi, Volo, ut ex nunc, quia non sat esset, si non consisteret inter nos matrimonium, denuo contraherem: quia non est consensus de præsenti, hic & nunc contrahendi, qualis ad matr. requiritur. Probatur conclusio, quia tunc non tantum vir intendit in matrimonio contracto perseverare, sed denuo contrahere, sub ea conditione, si prius matrimonium irritum fuit, quare cum conditio tunc existat, matr. vere contrahetur. 2. quia hic consensus non procedit ex errore, sed licet simul cum errore sit, fertur in objectum illud conditionatum absolute, & error, & ignorantia se habent concomitanter, ignorantia autem concomitans non tollit voluntarium, & licet tollat negative, idest, non ponat consensum in actu, sed in habitu, quod non satis esse ad matrimonium, dixi hoc 2. l. disp. 34. n. 3. id tamen contingit, quando simul cum illa ignorantia concomitante non elicitur consensus de præsenti, qualis hic adest, cum dicat conjux, Volo te ex nunc, &c & in hoc casu est vera prior sent. proposita n. 2. & videtur aperte tenere *Adria. 4. de sponf. dub.13. vers. Preterea tertio principaliter*: ubi dicens non convalidari matr. initum cum serva, conditione non detecta, subdit hæc, vel constiterit de animo quod contrahere rite velit, ubi prius matr. non fuerit legitimum. Et hoc potest etiam fieri per confessorem, ut si discordia sit inter conjuges, exhortando, ut se ita diligant, ac si matr. denuo inter ipsos iniretur, & tunc se recipiant in conjuges, etiamsi matrimonium non fuerit inter eos. Sed hoc magna circumspectione fieri oportet, & habita opportuna occasione, poterit enim vir suspicari confessorem aliquid nosse de matrimonii nullitate, & ideo velle denuo conjugum consensus præstari: quare modus hic rarissime per confessorem adhibendus est. 5

III. Conclusio, sufficiat etiamsi conjuges scientes impedimentum cessasse, se affectu maritali cognoscant: ut prius matr. irritum convalidetur. Prob. ex *c. 2. & c. fin. de coniug. servorum*, ubi habetur, contrahentem ignorantem cum ancilla revalidare matr. si cognita servitute, verbo, vel facto scilicet, copula carnali affectu uxorio, in eam consentiat. Item ex *c. Is, qui de sponf.* ubi sponsalia in matr. transeunt per copulam affectu uxorio habitam. Item quia matrimonium verbis, vel signis contrahi potest (ut dixi hoc 2. l. disp. 31. n. 5.) nullum autem signum ita expresse voluntatem contrahendi denotat ad factum ipsum. Hæc conclusio est contra aliquos dicentes, requiri novum consensum, ultra eam copulam: hi sunt *Ricard. 4. dist.40. a.1. q.6. Silv. matr.6. q.5. dist.2. fin. Nav. sum. cap.22. Hisp. n.87. Verac. 3. p. spec. a.12. concl.1. Manuel t. sum. in 2. edit. c. 220. n. 2. paulo post princ.* Sed nostram conclusionem sustinent *Gl. c. Non debet, vers. Decet de consang. & ibi Abb. fine, Præp. n.20. fine, Lozzes de matr. dub.12. num. 14. Villalobos in comm. lit. M. n. 68. Sotus 4. dist. 35. q. un a. 2. vers. Sed est præterea, Cov.* dicens esse communem sent. *4. decr. 2. p. c 4. init. n.5. Perez l.5. ordin. t. 1. l.1. f.41. col.2. vers. Septimo non habebunt. Palacios 4. dist. 30. disp. 1. f.670. fin. & seq. Enriq. l. 11. de matr. c.9. fine, Manuel eodem n.2. ad fin.* Sed dicens, quorsum hæc post Trid. per quod hujusmodi matrimonia præsumpta cessarunt? Resp. ad duo prodesse, alterum est pro infidelibus, qui invalide contraxere, nam si cessante impedimento, ut mortuo priori conjuge, qui tunc superstes erat, morteque per ipsos scita cognoscant se, sicut prius tanquam conjuges, convalidabatur matrimonium, contra Veracruz proxime citatum: cum illi lege concilii non adstrigantur. Quod maxime proderit ad discernendum, quando infideles convertuntur, in quo matrimonio per ipsos inito, perseverare permittendi sint. Alterum est, quia (ut dicemus disp. seq. n. 14.) si nullitas prioris matrimonii occulta sit, illudque coram parocho, & testibus celebratum sit, convalidabitur per eam copulam, per quam ante Trident. convalesceret. 6

7 Ex his infertur, ubi non timetur probabiliter scandali periculum, verbi gratia, fore ut vir nullitatis conscius, nollet denuo contrahere, & maneret femina remedio destituta, cum impedimentum illud probari non posset, & maxime si esset proles, vel non esset periculum infamiæ, quale scandalum, vel periculum non timetur communiter, cum impedimentum est ex parte viri, & aliquando, cum est ex parte feminæ, attenta viri, & ipsius feminæ conditione, curandum omnino esse, ut uterque conjux norit prius matr. non valuisse, prout dixi in prima conclusione, vel saltem ut ignarus nullitatis consentiat ex tunc in matrimonium casu, quo a principio irritum fuisset, prout dixi in 2. conclusione: nec in hoc casu potest tuta conscientia amplecti prior opinio, nimirum ut dissimulanter tecto impedimento conjux, ignoranti persuadet, ut illam habeat in conjugem. Quia illa prior opinio est parum probabilis, habetque contra se rationes urgentissimas, quare illa uti, ubi gravissima necessitas minime cogit, excusari a culpa lethali nequit. Erit autem optima cautela, ut conjux possit alterum nullitatem prioris matr. docere, dicere se in prius matrimonium minime consensisse: quod vere potest dicere, cum enim prior ille consensus ratione impedimenti invalidus fuerit, potest appellari non consensus: ut ficte promittens potest dicere se non promisisse (ut probavi l. 1. disp. 11. num. 27.) & ita tenent *Segura 2. p. directorii c.15. num. 40. §. Ceterum si alter*. Non tamen posset dicere absque mendacio veniali, se ficte consensisse, quia cum consensus fuerit omnino invalidus, & nullus, & perinde, ac si prorsus non esset, & ita vere appellari posset non consensus, qui solam negationem legitimi consensus importat: non autem potest vere appellari fictus consensus, qui positive importat fictionem in animo, hoc est, internam voluntatem contrariam manifeste per ipsa verba, quæ cum revera non adfuerit, mendacium est. Fateor tamen cautelam non mediocre periculum habere posse, forte enim diceret vir: Fictus ergo fuit amor, quem mihi tot annis ostendisti, ac perfida es, & perversa, cum toto hoc temporis curriculo sacramenta frequentari tanto scelere contaminata, persuadere mihi nequeo quin dolus alius subsit: & ita discordiæ inter conjuges orientur. Qua ratione ratio, prudenterque, re considerata, hac cautela utendum esse existimo.

8 IV. Conclusio, Ubi esset probabilis prædicti scandali, aut infamiæ timor, nec posset extorqueri consensus ille conditionalis, de quo in 2. concl. memini absque prædicto periculo: posset amplecti prior opinio, ut omnino recta prioris matrimonii nullitate, persuadeatur ignoranti, ut ex tunc habeat alterum in conjugem, modo quo explicui in priori opinione proposita n. 2. Prob. quia quamvis ea opinio parum probabilis sit, & secluso eo periculo amplecti nequeat, non tamen est omninoda probabilitate destituta; sed aliqualem habet, cum patronos gravissimos, & rationes aliquantulum probabiles habeat: & quod alias non judicaretur probabile, facit tale esse urgens necessitas, & periculum, quod ex opposito sequeretur: ut optime docet *Sotus de secreto. memb.3 q. 2. conc. 3.* quem approbat dicens esse singularem, *Nav. c. Inter verba, n. 2. 2. edit. corol. 53. n. 135. fin.* his verbis *licet qui habeat opinionem alicujus partis, & solam alterius formidinem, non tenetur sequi opinionem, si inde magnum imminet alicui periculum, & formido alterius apparentem habeat probabilitatem, quia periculum grave facit, ut in moralibus formido preponderet opinioni*. Et favet *Jason. l.1. n.56. C. de summa Trin.* ubi dicit, in dubiis præferendam esse sent. animabus faventem. Et ita videmus conferendam esse baptismum in digiti extremitate, quando partus periclitans illam extrahit, & juxta multos ostendenti signa contritionis, absenti sacerdote, potest in articulo mortis absolutio impendi: quæ opiniones ratione periculi magni sustinentur, cum alias parum probabiles sint. Nec obstat; si credatur fore, ut conjux nullitatis prioris matrimonii conscius, minime contraheret. Quia cum tunc non habeat actu dissensum, sed illa sit habitualis animi præparatio, non obest, quominus matr. denuo contractum, validum sit: ut bene dicit *Petrus de Ledes. de matrim. q.45. a.3. dub. ult.* §. *Sed dubium est quodnam remedium* Verum certius esset matrimonium, si alter in ea dispositione esset, ut si nullitatem sciret, vere contraheret. Quia multi satis probabiliter dicunt stante conditionis impedimento annullante, si alter conscius contraheret, valere matrimonium, nedum eo sublato.

Ultima Conclusio, quando nec hic consensus posset extorqueri, quia vir hilaris non est, vulgo (*no esta de gorsa*) & ita non vult respondere, & ex alia parte petit debitum ab uxore, ipsaque sine scandalo subterfugere nequit, reddendoque peccaret, cum nondum sit matrimonium; potest absque verbis, denuo matr. illud consistere, copula illa affectu maritali habita ex parte sua, nam ex parte alterius, cum putet esse matrimonium, constat eo affectu haberi: & hoc etiamsi alter conjux ignoret prius matr. fuisse invalidum. Ratio est, quia licet hoc minus probabilitatis habeat, quam dum verbis innovantur consensus, eo quod (ut diximus in 3. concl.) etiam stante scientia illius nullitatis, sub judice est, an sufficiat illa copula? at tenendo (ut ibi probavi) sufficere: eamdem difficultatem habet, sive verbis, sive facto ipso, nempe hac copula contrahunt denuo matrimonium: cum utrobique procedat consensus ex errore. Sic *Sotus 4. d. 29. q.2. a.1. d. ult. Manuel 1. t. summæ 2. edit. t. c. 220. n. 2. ad fin.* & tenent expresse DD. cit. n. 2. quarta, & quinta ratione pro priori opinione, cum dicant convalescere matr. per copulam affectu uxorio, licet procedat ex errore, quo vir putabat esse validum prius matr. vel fuerat contractum cum serva ignorata, & vir inscius manumissionis postea factæ, eam affectu uxorio cognovit. Et ratione hujus aliqualis probabilitatis, juncto dicto periculo, & necessitate, potest amplecti hęc opinio pro allegata conclusione præcedenti. 9

Tandem respondetur ad arg. prioris sent. proposita a n.2. Ad 1. nego antecedens. Ad 2. neg. minor. quia is consensus est nullus, cum ex errore procedat, est consensus ad denuo contrahendum, sed tantum ratificatio prioris matr. quæ nulla est, sicut, & ipsum. Ad 3. dic reduci ad errorem personæ, cum is putet esse suam, in quam consensit: cum vere non sit. Ad 4. & 5. in utroque casu multo probabilius est oppositum. 10

Quia tamen dixi priorem sent. non esse omnino improbabilem; & arg. secundæ, proposita num. 3. videntur omnino convincere esse falsam: oportet aliquantulum probabiliter ipsis satisfacere. Ad 1. secundæ sent. dic, non quemcumque errorem tollere consensum necessarium ad matrimonium, sed errorem conditionis, aut personæ: si enim putaret vir esse ditissimam, & valde nobilem uxorem, & tamen esset pauperrima, & villissima, hic error non tolleret consensum necessarium ad matrimonium: at hic error est tantum juris, quo putat illam esse suam: & sic ad consi. est negandum antecedens. Ad 2. & 3. respondetur in aliis contractibus, & rebus errorem etiam circa aliud a persona contingentem, posse annullare: ut si putem me dare pauperrimo eleemosynam, cum tamen sit dives: secus in matr. Ad 4. constat solut. ex præc. id enim est verum in aliis contractibus. Ad 5. & consi. dicendum est, licet ille non intendat formaliter novum inire matrimonium, intendere tamen virtute: in eo enim actu, quo hanc vult ut uxorem, vel ut talem cognoscit, virtute clauditur, & tacite, hic & nunc, & semper consentire in ipsam, ut uxorem, sicut juxta *c. unicum, de sponf. impub. in 6.* cum impuberes contrahunt matrimonium, licet formaliter inducant matrimonium, virtute tamen intendunt etiam sponsalia: quia si actus non valet eo modo, quo agitur, debet ex tacita contrahentium mente valere eo modo, quo potest: ut dixi l. 2. disp. 21. n. 2. Sic in nostro casu, cum ea verba, vel copula sufficerent ad denuo contrahendum matrimonium, nec possint valere pro actus præteriti ratificatione, cum is nullus fuerit, valebunt eo modo quo possunt, ex virtuali intentione, nimirum, ad denuo constituendum matr. Ad 6. negandum est ea doctrina: nam alii tenent contrariam: ut dixi hoc 2. l. disp. 34. n. 1. Ad 7. concedenda est sequela, ut dixi ult. concl. & neganda est doctrina in contrarium adducta, cum aliis Doctoribus quos retuli hac disp. n. 2. in quinta ratione. Ad 8. dic, id Pontificem exigere in ea concessione, quia multo probabilius est, nec aliter voluisse id privilegium commissario concedere. 11

DISPUTATIO XXXVII.

Utrum matrimonium coram parocho, & testibus initum, invalidum ob occultum impedimentum, sit, ablato impedimento, iterum coram parocho, & testibus celebrandum?

SUMMARIUM.

Referuntur duæ opiniones, n. 1. & 2.

Non est necessarium iterum coram parocho, & testibus celebrari: & ibi lex non extenditur ad casum, quem ejus ratio a principio non compre-

comprehendit, n. 3. & ibi legis intellectus ex proœmio sumitur.
An idem sit in quocumque alio impedimento occulto, ut mutus, 4.
Quid, si matrimonium sit nullum ob errorem conditionis, n. 5. & quid, si ob ætatem, 6.
An hæc sint vera propter Pii V. declarationem, vel etiam stando in ipso contextu Concilii, n. 7. & quid si mala fide contractum est matrimonium, 8.
Quid, si in dispensatione impedimenti contineatur, ut dispensetur, ut possit verum celebrari matrimonium publice, servata forma Tridentini, 9.
Quid, si parochus, & testes, vel aliquis ex illis, noverant impedimentum tempore contractii prioris matrimonii, aut post noverint, n. 10. & quid, si parochus sciebat in confessione.
An dicatur occultum impedimentum, quando est periculum, ut in foro externo detegatur, vel est impedimentum probabile: & quando dicatur probabile, n. 11. & ibi, quid dicatur occultum in concessionibus ad dispensandum super occultis, & sess. 24. Trident. c. 6. de refor.
Quid si impedimentum deductum sit ad forum contentiosum, & defectu probationis, vel falsa informatione absolutus est reus, an adhuc dicatur occultum, n. 12. & ibi, verba cum effectu sunt intelligenda; & explicatur c. 6. de reform. sess. 24 Trid. n. 12. fundo, n. 11.
An revalidato hoc matrimonio occulto, oporteat conjuges illos iterum recipere benedictiones Ecclesiæ, 13.
An sufficiat copula carnalis ad revalidandum hoc matr. 14.
Solvuntur argumenta, & dispensationes non semper continent aliquid jure communi non concessum, 15.

1 IN hac disp. triplex est sententia 1. docet desiderari, ut iterum coram parocho, & testibus celebretur illud matr. Prob. quia prius fuit nullum, ergo perinde celebrandum est coram parocho, & testibus, ac si nunquam fuisset initum. 2. quia Tridentinum exigit pro forma præsentiam parochi, & testium; ergo ea requiritur, quando denuo celebratur matrimonium, cum tunc vere contrahatur. Et confi. quia solemnitas illa parochi, & testium adhibita est ad legitimandum consensum prioris matrimonii, tunc expressum: non autem postea exprimendum: sed prior consensus cum nullus fuerit, non constituit matrimonium, sed posterior, qui validus fuit; cum ergo in posteriori desiderata fuerit solemnitas necessaria, non erit matr. 3. quia esto esset finis decreti Tridentini, cessat in casu speciali, lex autem propter bonum commune edita, minime cessat cessante fine in particulari; eo vel maxime cum dum lex aliquid tanquam formam exigit, cessante fine, non cessat, ut docet Bart. & multi alii, quos refert, & sequitur *Tiraq. tr. Cessante causa, limitat. 37.* Tandem, quia in diplomate cruciatæ conceditur commissario facultas dispensandi in matr. cum occulto impedimento, ut iterum occulte celebretur: ergo attento Tridentino id fieri non poterat: frustra enim esset privilegium. Hanc tenent *Nav. l. 4. consiliorum, in 1. edit. t. 1. de sponsi. cons. 11. in 2. t. de spon. impub. con. 3. Gutier. q. canon. l. 1. c. 28. n. 7. & 8. de jura. 1. p. c. 50. nu. 22. & 43. Polacos q. d 27. q. 1. f. 566. fi. & seq. Matienzo 1. 5. recop. t. 1. l. 1. gl. 1. n. 3. Bart. a Ledesm. dub. 17. de matr. f. 1275. & seq. & videtur teneri Perez l. 5. ordi. t. 11 l. 1. f. 18. §. Ex quibus respondendum erit*; & eam dicunt esse veram *Gutier. & Barth. a Ledesm.* quamvis scandalum sequatur, matrimonium iterum publice celebrando: & in hoc etiam casu dixit esse probabilem *Veracruz appendice ad speculum, dub. 10. concl. 6.*

2 II. Sententia docet idem, nisi scandalum, aut infamia oriretur: tunc enim ex epicheja posset occulte absque parocho, & testibus celebrari. Sic *Cordubu sum. q. 15. f. 130. col. 1. §. Resolutoriamente digo Segura director judic. 2. p. c. 25. n. 40. §. Quod nobis, Lud. Lop. 1. part. instr. cap. 85. §. penult.* & dicit probabilem *Veracruz append. dict. dub. 10. conc. 6. fin. & conc. 5. fine*, ubi limitat hoc esse verum, nisi illi mala fide contraxerint: quia non
3 est justum, Ecclesiam mala fide contrahentibus subvenire.

III Sent. cui prorsus adhæreo, ait, non esse necessarium iterum coram parocho, & testibus contrahere: sed satis esse, si contrahentes inter seipsos solos renovent consensus. Ad hujus sent. probationem supponendum est hoc fundamentum: aliud est cessare rationem legis in aliquo casu: aliud vero rationem legis non se extendere ad illum casum: nam in priori casu lex ex se, & ex sua generalitate comprehendit illum casum, in eoque locum habuit; alias non diceretur cessare rationem, vel legem, cum nec lex, nec ratio in eo casu locum habuerit; & quod nunquam fuit, cessare nequit: in posteriori vero nunquam ratio legis amplexa est illum casum, & per consequens nec lex ipsa, cum quantumcumque verba legis generalia sint, restringantur, & intelligantur juxta limites suæ rationis, eo quod sit ratio legis anima ipsius, *c. Ratio nulla, de præbendis, & l. Cum pater, §. Dulcissimus, ff. de legat. 2.* & docet *Tiraq.* multis citatis *tr. Cessante causa, 1. p v. 138. & 159. & l. Si unquam, & Libertis, num. 45. C. de revoc. donat.* Quamvis ergo sub judice sit, an cessante ratione finali legis cesset lex: verum quando a principio ratio legis non se extendit ad aliquem casum, dicendum est nunquam legem habuisse locum in illo: ut optime docent *Ant. c. Post translationem, de renuntiat. n. 34. & ibi Abb. in 2. lectur. n. 17.* Et exemplo id exponam. Præcipit superior religiosis ne adeant locum ubi operarii laborant, ne loquelis illos impediunt: si quis vellet adire intendens omnino tacere, posset discere in ipso cessare rationem præcepti: si tamen die feriata adiret, non cesseret in hoc eventu ratio præcepti, nunquam enim hunc casum comprehendit, cum die feriata operarii a laboribus abstineant: quare nec præceptum ab initio hunc casum comprehendit, nec in illo obligavit. Hoc ergo supposito fundamento, probatur 1. nostra sent. quia ratio finalis decreti *Tridentini, sess. 24. de matr. c. 1.* statuentis, ut matr. coram parocho, & testibus celebretur ea fuit, ut constat ex ejus proœmio, ut vitentur gravia peccata ex clandestinis nuptiis consurgentia, maxime eorum, qui clam cum una contrahunt, eaque relicta aliud publicum matr. ineunt, cui malo nequibat Ecclesia mederi, cum ipsi de priori matr. minime constaret. Sed hæc ratio non se extendit ad hunc casum, cum prius matr. invalidum, in foro Ecclesiæ validum, & publicum fuerit (ejus enim nullitas, & impedimentum occulta sunt) & subinde si aliud matr. inire vellent, impedirentur ab Ecclesia, credente matr. illud publicum, validum fuisse: ergo decretum Tridentini nunquam hunc casum comprehendit, nec in illo obligavit. 2. quia ex proœmio colligitur animus, & intentio legislatorum, & intellectus totius decreti, illudque limitatur: ut bene docet *Tiraq. tr. Cessante causa, limit. 1. n. 65. Alex. de Nevo cons. 3. n. 3. Hippol. Riminald. cons. 540. n. 78. v. l. 5. Burg. de Paz cons. 32. n. 6. Molina l. 1. de primog. c. 5. n. 3. & 5. Bursatus cons. 76. n. 9. Gutier. 3. practicarum, q. 17. n. 90. & 91.* cum multis aliis quos ipsi referunt. Sed id decretum in proœmio loquitur de clandestinis matrimoniis, quæ semper Ecclesia prohibuit, detestataque est, matrimonium autem semel publice contractum, invalide propter occultum impedimentum, & eo sublato clam celebratum, nunquam fuit clandestinum, nec ab Ecclesia prohibitum, ad id enim præcesserat publicitas, quam Ecclesia poscit: ut docent *Catharin. l. 5. contra Cajetanum. C. 4. decreti. 2. p. c. 6. initio, n. 8. Enriq. l. 11. de mat. c. 3. n. 6. comm. lit. T.* ubi alios refert; ergo nec hoc matr. reputat Trident. esse clandestinum, nec illud irritat. 3. quia si dum verba proferuntur coram parocho, & testibus, alter ficte consentiat, satis est, si postea occulte consensum præstet (ut dixi hoc 2. l. disp. 31. n. 13.) ergo similiter in hoc casu, cum in utroque matr. nullum fuerit. Tandem, quia ex opposita sententia sequerentur multa scandala, & inconvenientia, ergo non est excidtu dignum voluisse concilium hos conjuges obligare, ut iterum publice contrahant. Et ita tenent *Nav. t. 4. consiliorum tit. 1. de sponsi. in 1. edit. cons. 35. in 2. cons. 14. fine, & sum. Lat. c. 22. p. 70. & p. 16. in nova editione n. 37.* & dicit sic postea declarasse pium V. & Sacrum Pœnitentiariæ Prætorium ea declaratione frequenter uti. *Enriq. l. 11. de matrim. c. 3. nu. 6. & in comment. lit. L.* refert idem remisse consultos Episcopos *Cov. Guerrero, & Blanco*, qui concilio interfuere: *& Magistros Balbas, Sancho, & Moyat.* idem *Pedraza sum. 3. præcep. §. 12. Ant. Cuc. l. 5. instit. moj. n. 11. n. 65. Polac. 4. dist. 30. disp. 1. f. 671. col. 2. ante ver. Sed quæritur forsan. Petr. de Led.* dicens sic declarasse Cardinales, *de matr. q. 45. a 5. dub. penul. Lud. Lop. 2. instr. de matr. cap. 40. ad finem, & c. 37. & f. 1042. & c. 39. f. 1039. Manuel in bul. cruciata, §. 13. nu. 6. ver. Siguese lo segundo, & 1. t. sum. 2. edit. c. 220 n. 3. Capud l. 2. decis. c. 80. num. 14. Phil. de offi. sacer. t. 1. p. 2. l. 2. c. 13. Vega l. 6. summæ, casu 93. fine, & casu 143.* & dicit esse probabilem *Bart. a Ledesma, alleg. pro prima sententia.*

Hinc infertur, idem dicendum esse, qualecumque sit impedimentum occultum: ut si matrimonium fuit nullum propter metum occultum, satis enim est, si postea inter se solos ipsi contrahentes ratificent, quia eadem prorsus est ratio, quamcumque sit impedimentum. Sic *Enriquez. l. 11. de matr. c. 9. ad fin. in commento, lit. O. & c. 12. n. 2. in commento, lit. I. Lud. Lop. 2. p. instruct. de matr. c. 40. f. 1066. §. Porro jam ingentior*, & dicit esse probabile *Petr. de Ledesm. de matr. q. 47. a. 3. dub. ult.* & favent ceteri Doctores n. 3. allegati, qui generaliter, & indistincte loquuntur de impedimento occulto.

2. Infertur idem dicendum esse, quando quis cum impedimento servituris occulto, ab alio ignorato, contraxit publice: inblata enim servitute, vel ab alio cognita, satis est ut inter se solos iterum contrahant. Constat eadem ratione. Et tenent *Pal. 4. dist. 30. disp. 1. fol. 671. col. 2. ante vers. Sed quæritur forsan, Enriq. l. 11. de matr. c. 3. n. 6. & 7. comm. lit H.* & favent ceteri allegati n. 2. 3. generaliter loquentes: unde immerito id negat *Petr. de Led. de matr. q. 52. a. 1. dub. 2. fine.*

3. Infertur idem dicendum esse de matrimonio nullo ob occultum ætatis defectum: completa enim ætate, satis est inter ipsos conjuges illud celebrari. Eadem enim est ratio. Sic *Enriq. l. 11. de matr. c. 3. n. 7.*

4. Infertur, non audiendum esse *Petrum de Ledes. de mat. q. 45. a 5. dub. penul.* qui ait dicta in tertia sententia, vera esse propter declarationem Pii V. ea enim seclusa, & stando in contextu Concilii Tridentini, quamvis probabile esset, matrimonium nullum ob impedimentum occultum, posse clam celebrari: probabilius tamen esse oppositum; unde censet, Pium V. non declarasse Concilium, sed in illo dispensasse. Sed dicendum est stando in ipso decreto Concilii, multo probabilius esse, posse clam absque parocho, & testibus celebrari: & ita Pium V. minime dispensasse, sed declarasse Concilium. Nam rationes tertiæ sent. allatæ nu. 3. fortiter urgent, ut id concilii decretum non extendatur ad hunc casum: & ita tenet *Nav. sum. Lat. c. 22. n. 6. Enriq. lib. 11. de matr. c. 3. n. 6. Publicr. de off. sacerd. tom. 1. p. 2. l. 2. c. 13.*

5. Infertur idem dicendum esse, licet matr. invalidum propter impedimentum occultum, sit mala fide contractum: adhuc enim convalescit, si occulte inter ipsos solos contrahentes celebretur. Hoc est contra *Veracruz*, cujus sent. retuli n. 2. fine;

cujus

cujus ratio concluderet utique, si nostra sent. inniteretur epicheję, ac tacitę Pontificis dispensationi, non enim credendum esset, Ecclesiam subvenire mala fide contrahentibus: cum autem innitatur vere, & rigide illius decreti Tridentini expositioni, quod nunquam hunc casum comprehenderit, parum refert, sive bona, sive mala fide matrimonium initum sit.

6. Infertur idem dicendum esse, non obstante clausula solita apponi in dispensationibus conceisis ad revalidandum matrim. nullum propter occultum impedimentum, quæ talis est, *Si ita est cum eis, ut inter se publice, servata forma Concilii Tridentini contrahant, dispensa*. Quamvis enim virtute hujus commissionis non possit commissarius dispensare, ut occulte celebretur matrimonium: at potest dispensare in impedimento, quo per dispensationem cessante, absque aliqua dispensatione juxta decretum Tridentini, potest illud matr. inter ipsos solos contrahentes celebrari.

10 Est tamen inteligenda tertia sententia, cum corollariis ex ea illatis, dummodo parochus, & testes impedimentum illud ignorarent, si enim id nossent; quantumcumque alias esset occultum, necessario repetendum esset coram parocho, & testibus. Quia cum ipsis consstet, in foro Ecclesiæ matr esse nullum, non sunt testes valoris, sed nullitatis matrimonii. Sic *Enriq. l. 11. de matr. c. 3. n. 7.* referens aliquos juniores doctissimos idem sentientes: *Petr. de Led. de matr. q. 47. a. 3. dub. ult.* Idem credo, quamvis alter solus, ex duobus testibus requisitis, vel solus parochus impedimentum nosset, quia jam desunt necessaria ad valorem matrimonii, cum vel parochus, vel alter testis requisitus, non sit testis valoris matrimonii. Si autem tempore, quo assiterant matrimonio, ignorabant impedimentum, licet postea scientialiter, quod non esset probabile in foro externo, juxta dicenda nu. seq. potest absque parocho, & testibus innovari. Quia jam quando Ecclesiam repræsentarunt assistentes matr. fuerunt testes valoris illius, & satisfactum est decreto Tridentini, Ecclesiæque constat de illius valore, & adhuc manet impedimentum occultum: quia suppono non esse plene probabile impedimentum in foro externo, quia vel non sunt testes omni exceptione majores, vel non oculari, vel unus tantum ex illis scit. Similiter credo posse iterum occulte celebrari, si parochus tempore, quo matrimonio interfuit, noverat impedimentum intra solam confessionem. Quia cum tunc sciat solum ut Deus, & nullo modo in foro Ecclesiæ, vere testis est illius matrimonii.

11 Secundo inteligenda est, nisi periculum sit, ut detegatur impedimentum, & probetur in foro externo: tali enim periculo existente celebrandum iterum est coram parocho, & testibus. Sic *Henr. l. 1. de matr. c. 3. n. 6. Manuel 2. t. sum. in 2. edit. c. 220. n. 2.* Imo, quamvis id periculum minime sit, si impedimentum sit plene probabile in foro externo, credo necessario iterandum esse coram parocho, & testibus. Quia licet occultum in aliis decretis usurpetur, ut distinguitur contra publicum, vel id, quod deductum est ad forum contentiosum: ut circa *decretum Concil. Tridentini sess. 14. c. 6. de reform.* docent *Nav. sum. Lat. c. 27. in nova edit. n. 255. Enriq. l. 14. de irregularitate, c. 20. n. 4. Manuel in bulla cruciata, §. 9. n. 129. fine, & 1. t. sum. in 2. edit. c. 166. n. 3. Lud. Lop. 2. p. infra. de clavibus, c. 8. de bulla, f. 25. col. 1. §. Igitur antequam bulla*. Et eodem modo dicit *Nav.* ibi usurpari occultum in quibuscumque facultatibus bullarum sacræ pœnitentiariæ, vel legatorum: aut quorumcumque concessis ad dispensandum super occultis, ac in præsenti, ut impedimentum dicatur occultum, ut eo sublato possit matr. clam celebrari, credo occultum accipi, ut distinguitur contra plene probabile, quia quando impedimentum plane probari potest in foro externo, tunc proculdubio si matr. clam ratificatum, validum esset, sequerentur ex eo omnia inconvenientia, quæ olim ex matr. clandestino valido sequebantur: nam probato impedimento posset alter conjux aliam uxorem ducere, cum qua in perpetuo adulterio viveret: cum Ecclesiæ minime constet de occulta revalidatione matrimonii illius publici, quod propter impedimentum, plene probatur fuisse nullum. Dicetur autem plene probabile in foro externo, impedimentum, ad dissolvendum matr. publice contractum, quando duobus testibus probari potest: ut cum aliis docet *Mascard. de probat. concl. 410. a n. 19. fundo n. 9.* & habetur expresse *cap. Quoties de testib. & attestat.* debent autem esse illi duo testes non tantum idonei, sed omni exceptione majores, idest, quibus nihil opponi possit: ut multis textibus, & DD. relatis, docet idem *Mascard. concl. 1023 num. 4. usque ad* 14. Quare si sola relatione conjugis scirent impedimentum tres, vel quatuor, adhuc diceretur impedimentum occultum, dum non est publica fama; quia testes illi non faciunt plenam fidem ad dissolvendum matrimonium, tantum enim deponunt de conjugis confessione, quæ sufficiens ad hoc non est.

12 Hinc infertur, si impedimentum illud delatum ad forum externum, minime probaretur, aut falsa informatione pronunciaretur sententia pro matr. publice contracto, manere adhuc occultum: cum matrimonii valor constet Ecclesiæ, & ita posse convalescere novo consensu occulto inter conjuges præstito. Sic *Enriq. l. 11. de matr. c. 3. n. 6.* Unde rursus infertur declaratio ad *Trid. sess. 24. c. 6. de reform.* ubi conceditur facultas Episcopis dispensandi in delictis occultis non deductis ad forum contentiosum: potest enim Episcopus dispensare, si reus falsis testibus, aut probationis defectu absolutus est a delicto, ad forum contentiosum deducto, quia verba cum effectu accipienda sunt. *c. Relatum de cler. non residen.* ergo dum concilium excipit crimen deductum, ad forum contentiosum, intelligendum est, si ea deductio effectum habeat. Præterea, quia ratione scandali, & publicitatis, denegatur Episcopo facultas, quando crimen versatur in foro externo: quæ in hoc casu cessat: occultiusque delictum manet. Tandem, quia per accidens, non est inconveniens ex delicto inductionis falsorum testium, commodum sentire, eo quod manet delictum intra terminos, & latitudinem delicti occulti. Sic *Enriq. l. 14. de irreg. cap. 20. num. 4. Manuel 1. tom. sum. 4. edit. cap. 167. nu. 4. Vivald. Candel. 2. p. de excomm. num. 42.* dicens gravissimos Salmantinos ita sensisse, licet alii contra censerent.

Id observandum est, hos, qui sublato impedimento clam 13
revalidarunt matrimonium, non teneri Ecclesiæ benedictiones ante revalidationem præmissas, iterum recipere. Quia semel receptæ sunt, nec possent sine scandalo repeti, nec sunt de matr. essentia. Sic *Cordubu sum. q. 51. §. Teste matrimonio, Bartbol. a Ledesm. dub. 17. de matr. fol. 1276. fine.*

Tandem dicendum est, matr. illud, quod propter impedi- 14
mentum occultum nullum fuit, posse revalidari copula affectu maritali inter conjuges habita: sicut revalidatur novo consensu occulto. Probatur quia *Trident. sess. 24. de matr. c. 1.* minime comprehendit hunc casum, ut probavi n. 3. & ita tanquam casus omissus relinquitur dispositioni juris communis, *l. Commodissime, ff. de liber. & poss. & l. Si cum dotem, in princ. ff. sol. matr.* ergo cum secundum jus commune tale matrimonium convalescere copula maritali, per *c. 1, qui fidem, de sponsi.* ut probavimus disp. præced. n. 6. idem erit attento Trid. decreto. Et confirm. quia ideo Tridentinum corrigit matrimonia præsumpta, ex copula maritali consurgentia, quia jam requiritur præsentia parochi, & testium; ergo in casu, in quo talis præsentia non deideratur, ut est hic, manebit jus commune illæsum. Præterea, quia cum matr. verbis, & signis contrahi possit, & copula affectu maritali, signum sit consensus de præsenti: alias sponsalia per illam non transirent antiquitus in matrimonium, contra *d. c. 1, qui fidem*; sicut verbis de præsenti convalescit, ita copula illa, affectu maritali. Sic docent *Enriq. l. 11. de matr. c. 3. num. 6. & c. 9. ad fin. in commento, lit. O. Manuel 1. t. sum. 2. edit. c. 220. n. 2. Lud. Lop. 2. p. instructorii de matrim. c. 40. ad finem, & c. 37. ad fin. eod. c. 37. a f. 1042.* bene dicit revalidari etiam per traductionem solemnem ad domum, & diutinam habitationem, quæ signa sunt interni consensus, sicut ante Tridentinum, per hæc transibant sponsalia in matrimonium: quando autem hoc ita se habeat, consule *Cov. 4. decr. 2. p. c. 4. §. 2. n. 1. Menoch. de præsump. l. 3. præsump. 1. num. 56. & duplici sequenti, Gutier. de juram. 1. p. c. 51. n. ult.*

Ad argum. primæ sent. proposita n. 1. respondetur. Ad 1. ne- 15
gando prius matr. fuisse omnino nullum: fuit enim validum quoad præsumptionem Ecclesiæ ignorantis impedimentum, in cujus facie contractum est, & ita judicandum non est de illo, ac si omnino contractum non fuisset, quoad repetendam parochi, & testium solemnitatem: sed tantum quoad necessitatem renovandi consensus, Ad 2. dico antecedens esse verum, quando matr. omnino de novo contrahitur. Ad confi. dico per se tantum legitimare consensum tunc præstitum: per accidens autem, legitimare etiam consensum postea occulte præstandum. Quia ex suppositione illius solemnitatis præcedentis, sequens matr. clam ratificatum, non manet omnino clandestinum quoad forum Ecclesiæ. Ad 3. quicquid sit de antecedenti, dico nostram sententiam non inniti illi fundamento, quod cessarit finis decreti Tridentini, sed quod nunquam id decretum comprehenderit hunc casum: ut probavi n. 3. Ad ultimum, dico sæpe in bullis concedi aliqua, jure communi non prohibita, ad pacandas conscientias, maxime quando stando in jure communi dubia erant: quale est hoc, ut bene docent *Nav. sum. c. 25. nu. 85. & c. Quando, Lat. c. 3. n. 57. & c. 19. n. 84. & c. 21. num. 31. Manuel 1. tom. sum. 2. edit. cap. 220. nu. 2.* Ad argumentum secundæ sententiæ respondit num. 8.

DISPUTATIO XXXVIII.

Utrum Confessarius, qui novit aliquos conjugatos ex ignorantia invalide matrimonium contraxisse, teneatur illos admonere?

SUMMARIUM.

Opinio quædam distinguens refertur, n. 1.
Quando ignorantia est culpabilis, tenetur admonere, 2.
Ignorantia in uno culpabilis, in alio est invincibilis, n. 3. an sit culpabilis, quando conjux fateturali quam circumstantiam in modo contrahendi, ex qua matrimonium est nullum, & ibi, scientia speculativa non est causa malæ fidei, & quid, si initio adfuit mala fides, nunc autem est bona: & qua cautela utendum sit ad discernendum, num sit bona fides: eodem 3.
Quando pœnitens credit aliquid esse mortale, quod non est, tenetur Confessarius monere, 4.
Si ignorantia est invincibilis, & est spes profectus, tenetur monere: & utrum sufficiat post confessionem, 5.
Quando non est ea spes, & est ignorantia juris humani, vel facti, invincibilis: ut contingit in matrimonio, licet illud non sit contractum, an teneatur Confessarius monere, 6.
An male faceret Confessarius tunc admonendo, 7.
Quid, si conjux, qui est in ea bona fide, negaret ex alia

causa

causa debitum, an possit dicere Confessario, ut reddat debitum, n. 8. & ibi, an possit dicere illum esse verum coniugem. Quid, si ea ignorantia invincibilis est juris divini, & naturalis, 9.

Quid, si est in damnum proximi, ut in usura, vel detentione rei alienæ, num. 10. & ibi, quid si pœnitens suscipiat monitionem, at medium est difficile, quia sequetur scandalum, aut infamia.

An possit Confessarius differre in aliud tempus hanc admonitionem, & sit consilium paulatim monere, 11.

Explicatur c. Quia circa, de consanguinitate: & an dissimulatio principis inducat dispensationem, & an possit Episcopus dispensare in impedimento, cujus est obtenta dispensatio, sed est subreptitia, 12.

An teneatur Confessarius admonere ignorantem invincibiliter, quando est periculum, ne alius admoneat 13.

Quid, si pœnitens interroget, vel scrupulum formet, num. 14.

Quid, si est scandalum, vel sequitur damnum publicum, 15.

Quid, si scandalum secutum pœnitenti est momentaneum, at posita admonitio proderit, nu. 16. & quid, si possit probare Confessarius impedimentum, 17.

Quid, si ex malitia pœnitentis non speretur fructus, 18.

In concionibus publicis an sit aperienda veritas, licet non prosit, & aliqui scandalizentur, n. 19. & explicantur ibi, cap. Ephesii, 43. d. & c. Error, d. 83.

Solvuntur argumenta, & enodantur cap. Qui scandalizaverit, de reg. jur. & c. 2. de hæret. n. 20.

1 IN hac disp. aliqui distinguant, asserentes si ignorantia sit juris divini, teneri Confessarium admonere: secus si sit ignorantia invincibilis, facti, vel juris humani, nec sit in damnum alicujus, & non est spes emendæ, sed timor sore, ut pœnitens scandalizetur. Sic tenet *Adrian. quod l. 5. a. 2. a litt. F. vers. Ad q. respondeo: & 4. q. 5. de confessionz, d. 7.* & tanquam probabile *Barth. a Ledesm. de pœnit. dub. 13* & videntur tenere *Nav. summ. c. 22 num. 83. & c. Si quis autem, & pœnit. d. 7. n. 71. & Cov. 4. decret. 2. p. c. 6. §. 10. n. 13.* ubi utrique dicit, dimittendum esse pœnitentem in illa bona fide, quando procedit ex errore juris humani, vel facti, absque tertii præjudicio, & ex monitione esset timor scandali, ubi contrarium videntur tenere, quando est error circa jus divinum, Imo *Petrus de Soto lect. 10. de confess. ad fin. §. Circa hæc omnia*, ait, dum ignorantia est juris divini, vel humani, rutius esse pœnitentem instrui, secus ubi est ignorantia facti, & est timor infirmitatis pusillorum. Et prob. teneri Confessarium admonere, quando est ignorantia juris divini, 1. quia ea ignorantia nunquam est invincibilis, nisi deficiente aliqua, qui instruat, cum ergo possit tunc Confessarius instruere, tenetur, ne ignorantia illa culpabilis sit 2. quia pœnitens ad Confessorem accedit, tanquam ad Doctorem, & vicarium Dei, ut ab ipso instruatur, quia vel est proprius pastor, vel gerit vices proprii pastoris in eo munere, alias non posset audire confessiones: ergo infideliter agit, nisi instruat, & tacens, absolvensque pœnitentem errantem, videtur suo facto approbare, confirmareque illius errorem, 3. nam utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur, *cap. Qui scandalizaverit de reg. jur.* ergo propter scandalum pœnitentis, non est desistendum a veritate manifestanda, 4. quia potens alios ab error revocare, & tacens, seipsum errare demonstrat, *cap. 2. de hæret. 4.* quia *D. Paulus Act. 10.* inquit. *Mundus ego sum a sanguine omnium vestrum, non enim prætergi, quominus annuntiarem verbum Dei vobis.* Quem textum *D. Greg. c. Ephesii, 43. d.* ad hoc propositum refert. *Et D. Amb. ser. 83.* inquit: *Ego interdum parens vobis, & tacere vellem, sed malo vos contumaciæ causas reddere, quam negligentiæ fustinere judicium.* Et *cap. Error 83. d.* habetur approbari errorem, cui minime resistitur.

2 Sit I. Conclusio, quoties ignorantia est vincibilis, & culpabilis lethaliter cujuscumque juris, vel facti sit, non potest Confessarius dissimulare, quamvis admonitio non sit profutura, & quodcumque scandalum pœnitentis sequatur. Hanc fatentur omnes, quia cum ea ignorantia minime excuset, pœnitens affectus est culpa lethali: quare si confessor dissimulat, conferret Sacramentum indigno. Dixi, data opera, non posse Confessarium dissimulare: quia sub judice est, an teneatur admonere: *Matina C. de Confess. tr. 2. q. de Confess. dimidiata iteranda*, asserit non posse tacere, nec absolvere: verum non teneri docere, quia cum admonitio nihil profutura sit, erit actus vanus. Sed dicendum est teneri admonere, quia ea admonitio proderit, ut liberatus pœnitens ignorantia illa cognoscat malum statum, in quo est, & forte aliquando resipiscet, & mordebit conscientia, stimulisque agitabitur. Item, ne querelas formet denegatæ sibi absolutionis. Item, quia tunc Confessarius suo muneri satisfaciet, & ita tenent *Sot. 4. d. 18. q. 2. a. 4. ad 2. Ledef. 2. p. 4. q. 8. ar. 4. dub. 8. Aragon. 2. 2. q. 33. a. 6. concl. 4.*

3 Maxime tamen observandum est, ignorantiam, quæ in uno vincibilis est, posse in alio esse invincibilem, ut bene docet *Gl. c. Turbatur, 1. q. 4. §. Notandum, verb. Omnis ignorantia*, quod perpendere debet Confessarius ex qualitate personæ, & aliis circumstantiis: cum non omnes teneantur scire matrimonii impedimenta, imo multi facerdotes ea ignorient. Sic *Adriam quod l. 5. a. 2. lit. I. Sot. n. præced. allegatus*. Erit autem optimus intelligendi modus, an talis ignorantia sit culpabilis, curare bono modo intelligere, an pœnitens credat se esse in bono statu, vel dubiam conscientiam habeat: quod prudenter faciendum est, ne ex interrogatis, aut interrogandi modo constituatur pœnitens in dubia fide, qui prius illæsam conscientiam habebat. Potest etiam contingere, ut aliquando in mala fide fuerit, nunc autem in bona sit: quia forte consuluit aliquos, qui conscientiam sedarunt, cum docti existimarentur: & tunc reputandus est pœnitens, tanquam ignorantia invincibili laborans.

4 Similiter contingere potest, ut pœnitens fateatur se deliquisse in modo contrahendi matrimonium, ut quia clam contraxit, vel quia peccaret cum consanguinea præsentis uxoris, & tamen invincibiliter ignoret præsentis matrimonii nullitatem: & tunc debet se habere Confessarius cum illo tanquam, cum invincibiliter ignorante. Sic *Ledesm. 2. p. 4. q. 8. a. 4. dub. 8.* & ratio est, quia scientia speculativa, qua conjux ille scit se peccasse, cum consanguinea uxoris non constituit in mala fide, nisi adsit cognitio practica, qua norit esse impedimentum dirimens matrimonium, cognitio enim speculativa, cum ignorantia practica, non constituit malam fidem: ut dicemus hoc lib. 2. disp. 41. n. 8.

5 II. Conclusio, si pœnitens ex conscientia erronea credat aliquid esse peccatum lethale, tenetur Confessarius admonere. Constat, quia eam manifeste probat arg. secundum, quod n. 1. proposui. Item, quia quilibet alius tenetur lege charitatis docere, ne ratione hujus ignorantiæ multa peccata lethalia, quæ ire vera talia non sunt, admittat: ergo a fortiori tenetur Confessarius, cui instruendi munus incumbit. Sic *Enriq. l. 6. de pœnit. c. 28. n. 1.*

6 III. Conclusio, cujuscumque juris ignorantia invincibilis sit, aut facti, si spes probabilis sit, fore, ut monitio profit, sine gravi scandalo, & detrimento, tenetur Confessarius admonere pœnitentem, ut si norit Confessarius matr. esse nullum, & potest facile pœnitens dispensationem impetrare, & credit fore, ut adhibeat diligentiam ad impetrandam, nec est periculum, ut interim accedat ad uxorem, sciens jam non esse suam. Prob. quia munus Confessarii est pœnitentem instruere, cum vel proprius pastor sit, vel in audiendis confessionibus proprii pastoris munus obeat: ergo cum spes proficiendi adsit, tenetur docere: quamvis enim illa ignorantia nunc invincibilis sit, potest facile vincibilis fieri. Credideritam tamen raro hoc contingere, cum dispensatio Pontificis impetranda est, & longe distat Roma: quia saltem est periculum magnum incontinentiæ cum uxore, dum impetratur dispensatio. Casu autem, quo tenetur admonere, non tenetur ante absolutionem: sed satis est post, nisi Confessarius probabiliter credat, ante absolutionem profuturam monitionem, postea vero minime. Sic *Metin. C. de confess. tr. 2. qu. de confess. dimidiata iteranda, Corduba summa, q. 189. punct. 2.*

7 IV. Conclusio, quando ignorantia est invincibilis, juris humani, aut facti, absque tertii præjudicio, non tenetur Confessarius admonere, vel quilibet alius, quando nulla inde speratur utilitas, quia sequetur perplexitas, vel scandalum ex separatione, vel difficultas: quia, verbi gratia, conjux volet recedere, cum scandalo alterius ignorantis impedimentum, vel volet persistere in matr. obtenta dispensatione, & alter nolet denuo consentire, vel permanebunt in diuturno concubinatu conjuges illi. Exemplum sit in ignorantia facta bona fide aliquis contraxit præmissa sufficienti indagine mortis proprii conjugis, scit Confessarius, vel aliquis alius vivere. Erroris autem juris sit exemplum; habuit quis rem ante matrimonium initum cum consanguinea uxoris intra secundum gradum, & invincibiliter ignorans esse impedimentum dirimens contraxit matrim. Probatur ergo conclusio 1. ex D. Aug. & habetur *Si quis autem, de pœnitent. d. 7. ibi, si scierem non tibi prodesse, non te admonerem.* 2. quia frustra niti, & nihil aliud quam laborando odium quærere, extremæ dementiæ est: teste Sallustio. 3. quia nulla lex obligat ad actus inutiles, & otiosos. 4. quia, sicut correctio ad correcti utilitatem ordinatur, & illius spe cessante non obligat, ita confessio ad bonum pœnitentis tendit, ergo cessante hujus boni spe, non tenebitur Confessor admonere: ratio enim mediorum a fine sumitur. Tandem, quia nulli laqueum debemus iniicere, *c. de viduis, cl. 2. 27. q. 1.* sed admonere in hoc eventu, nihil aliud esset quam laqueum, & offendiculum apponere: nam constituti in bono statu, & bona fide, Confessoris monitione in malo, & periculo versabuntur, quia deinceps, verbi gratia, uxor impedimenti conscia tenetur potius mortem subire, quam reddere debitum, ut dicemus disp. seq. & forte vir non credet impedimentum fuisse, vel non poterit ipsa detegere, ne famæ detrimentum patiatur, & inde rixæ, & scandala oriantur, & Ecclesia non probato impedimento, compellet. Et ita tenent omnes DD. allegati n. 1. & ultra illos docent *Metina C. de confessione, tr. 2. q. de confessione dimidiata iteranda. Sotus 4. d. 18. q. 2. a. 4. ad 2. Can. relectione pœn. p. 5. n. Atque hic ego intelligi volo, fine, f. 101. Ledef. 2. p. 4. q. 8. a. 4. dub. 8. Corduba sum. q. 189. pun. 1. & l. 1. quæstionarii, q. 11. fin. & a. 2. col. penult. dicto 2. Angles florib. 1. p. q. 3. de conf. a. 8. diffic. 8. conclus. 3. Frater Metina l. 2. sum. c. 3. reg. 2. fin. f. 263. col. 1. Enriquez l. 6. de pœnit. c. 27. nu. 4. & c. 28. n. 1. commento, lit. B. Bart. a Led. de Sacramento pœnitentiæ dub. 13. Manuel de ordine judiciario c. 9. nu. 4. & 1. 1. sum. c. 62. n. 13. & bulla cruciat. §. 13. n. 6. vers. Lo tercero. Arag. 2. 2. qu. 33. a. 6. concl. 2. Lud. Lop. 1. p. instruct. cap. 27. §. Ad prudentiam quoque Confessorii.* Quod verum esse credo,

credo, non tantum ubi jam contractum est matrimonium, sed etiam ante illud contractum: si enim confessarius, vel quilibet alius videat pœnitentem ignorantia invincibili impedimenti laborantem, & probabiliter credat fore, ut monitis non acquiescat, nec fidem adhibeat, & læsa conscientia matrimonium sit contracturus, & maxima difficultate, magnoque scandalo suborto possit a matrimonii contractu desistere: prudentissime confessarius aget, si taceat. Quod probant omnes rationes adductæ: & clare sentit *Navar. c. Si quis autem de pœn. l. 7. n. 73.* ubi ait, si vidisses dispensationes aliquorum, qui de peritorum consilio, bona fide credebant esse legitimas, cum tamen non essent, & tacuisse. Quia circa jus humanum errabant, ne quos ignorantia, excusabat, constituerit in mala fide, & nihilominus utentes dispensatione, peccarent: & concludit statim posse confessarium absolvere pœnitentem, qui probabili juris humani ignorantia excusatur, si videat monitionem non profuturam: ubi clare *Nav.* loquitur ante contractum matrimonium, quando virtute dispensationis invalidæ aliqui contrahere volebant.

8 Imo tenetur confessarius in casu præcedentis conclusionis tacere, ne sequantur inconvenientia dicta, præbeatque peccandi ansam his, qui in bono statu sunt. Sic *Adrian. 4. de confess. q. 5. dub. 7. Joan Metina, Sotus, Cano, Angles, quos retuli n. præced. Nav. c. Si quis autem de pœn. d. 7. n. 72. & summa, c. 22. n. 83. Corduba sum. q. 189. pun. 3.*

9 Dubitabis tamen, utrum conjugi neganti debitum ex alia causa, existentique in prædicta ignorantia invincibili valoris matrimonii, possit confessarius præcipere, ut debitum reddat? videtur enim non posse, quia novit confessarius non esse legitimum matrimonium, & ita re vera non teneri reddere, ergo præcipiens ut reddat, præcipit fornicationem, quæ intrinsece mala est. Et confir. quia non licet complacere in actu intrinsece malo, excusato propter ignorantiam, qualis est iste, & ita *Sot. 4. d. 18. q. 2. a. 4. ad 2.* ait, non posse confessarium monere prædictum conjugem, ut reddat, sed tantum in genere debere dicere, conjuges teneri reddere debitum. Sed fateor me non assequi, quid distet inter hæc, redde debitum, vel uxor tenetur reddere debitum: cum uterque loquendi modus ad eumdem scopum tendat, nimirum ad inducendum conjugem illum, ut reddat debitum: & si inducere verbis directis culpa esset, non ea vacaret, verbis indirectis inducere, siquidem ex parte confessarii eadem est intentio in utroque loquendi modo, & pœnitens idem prorsus intelligit. Præterea, quia cum pœnitens relinquendus sit in illa ignorantia, peccat lethaliter ea supposita non reddendo, ergo confessarius tenetur non absolvere, nisi proponat se deinceps redditurum, ergo potest cogere ut reddat: & ita confessarius non præcipit rem malam, sed rem debitam suppositis circumstantiis occurrentibus. Et complacere in actu malo excusato propter ignorantiam, tunc quidem illicitum est, quando actus ille non honestatur attentis circumstantiis, quæ tunc occurrunt, secus quando honestatur, debitusque est: ut contingit hic: & ita satisfactum manet argumentis contrariis. Et hanc partem tenent *Led. 2. p. 4. q. 8. a. 4. dub. 10. ad fin. Corduba sum. q. 189. pun. 1. Enriq. l. 6. de pœn. c. 27. n. 5.* ubi bene addit non mentiri confessarium dicentem, illum esse suum conjugem: cum reputatione sit, sicut verum dixit Virgo *Luc. 2.* cum Jesu invento in templo dixit, *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*; cum tamen Joseph non esset verus pater, sed sola reputatione.

10 V. Concl. idem dicendum est contra authores primæ sententiæ relatos n. 1. quamvis ignorantia illa sit circa jus divinum, & naturale: si enim probabiliter credat confessarius, consilium non profuturum, tenetur non admonere, quando ea ignorantia invincibilis est, quia rationes conclusionis præced. quas attuli n. 6. æque probant, sive ignorantia sit circa jus humanum, sive circa divinum: & ita tenent. *Joan. a Metina, Sotus, Cano, Ledesma, Enriquez, Barth. a Ledesma, Aragon ibi allegati: Corduba sum. q. 189. pun. 1*

11 VI. Concl. idem dicendum est, quamvis peccatum illud per ignorantiam invincibilem excusatum, sit in detrimentum proximi: tenetur enim confessarius tacere, probabiliter existimans fore, ut sua monitio non profit: verbi gratia, pœnitens bona fide possidet primogenitum, quod confessarius novit injuste possidere, & credit nihil profututum monitionem, quia est difficillimum relinquere illud, vel videt pœnitentem teneri restituere, & ignorantia invincibili excusari, monitumque non restituturum, tenetur tacere. Hæc conclusio similiter est contra authores primæ sententiæ. Sed probatur rationibus 4. conclusionis, allegatis n. 6. & tenent *Joa Metina, & Cano, ibi citati: Led. 2. p. q. 8. a. 4. dub. 4. Enriq. l. 6. de pœnit. c. 27. n. 4. Corduba sum. q. 189. pun. 1. col. 1. & 6.* & addit bene *Jo. a Metina*, etiamsi peccatum illud in proximi detrimentum sit continuatum: ut si quis exerceat usuras, laborans ignorantia invincibili, quia alios consuluit, & videat confessarius se monendo nihil profuturum, ut restituat acquisita, nec ut abstineat in futurum, tenetur tacere, propter easdem rationes. Et omnia dicta in hac conclusione, & duabus præced. vera sunt, quando credit confessarius fore, ut pœnitens liberter monitionem suscipiat, at videt remedium esse difficillimum, ut si scandalum, & notabilis infamia inde sequantur, & ita censent quidam neoterici docti.

Hinc infertur a fortiori, quando pœnitens sub lethali culpa tenetur ad aliquid adeo difficile, ut confessarius credat illum tunc æquo animo minime recepturum, & alia vice melius susceptuurum; excusaturque ignoratia invincibili: posse tunc tacere, & in opportunius tempus differre. Imo prudenter agunt confessarii, dum non omnia, ad quæ pœnitens tenetur, simul & prima vice aperiunt, ne deterius omnino abstineat a confessione, sed paulatim debent eum docere ea, ad quę tenetur.

12 Ex dictis infertur intellectus ad *c. Quia circa, de consanguinitate*, ubi consultus Innocentius III. de quibusdam; qui subreptitia dispensatione matrimonium contraxerunt, sic respondet: *Dissimulare poteris, ut remaneant in copula sic contracta, cum ex separatione grave videas scandalum imminere.* Hunc textum quidam intelligunt, ut dissimulatio illa Pontificis dispensationem inducat, ratione cujus ajunt illos conjuges tutos esse in priori matrimonio, quod invalidum erat. Quod si objiciatur *c. Cum jam dudum, de præbend.* ex quo constat principis dissimulationem non inducere dispensationem: respondent aliud esse impunitate, ac facto principem tolerare, tunc enim non inducitur dispensatio, juxta *d. c. Cum jam dudum*: aliud vero, respondendo dicere toleramus, vel toleratur: tunc enim dispensat juxta *d. c. Qui circa*: ubi *in fi. gl.* tradit hunc intellectum, *& ibi In. fin. Hostiens. super verb. Dissimulare, Joan. And. n. 3. Card. paulo post princ. Abb. ad fin. Henr. n. 2. Alex. de Nevo, n. 12. Præpositus, n. 7. idem Abb. c. Nisi, n. 9. de præbend. Dec. 1. n. 4. de except. Fel. c. 1. de tregua, & pace, n. 11. decl. 5. v. Limita hoc triplicitor: Rom cons. 307. n. 4. Sylv. verb. Lex, q. 6. ad fi. Brunorus in comp. resol. lit. M. verb. matr. toleratur.* Sed hic intellectus prorsus displicet, quia textus solum habet, Episcopum dissimulare posse, ut remaneant illi in matrimonio, mediante dispensatione subreptitia contracto, si ex separatione grave imminet scandalum, ergo non dispensat Pontifex. 2. quia etiamsi illa dissimulatio vim dispensationis obtinuisset, oporteret, ut licite permanerent in matrimonio, denuo illud inire, nec ex sola dispensatione possent illi permanere in matrimonio: ut dixi hoc 2. l. disp. 35. nu. 2. sed Pontifex tantum dicit esse tacendum, & dissimulandum, ergo minime dispensat. Alii vero intelligunt hanc textum, ut concedatur Episcopo facultas revalidandi dispensationem impetratam ex falsa causa, quando virtute illius contractum est matrimonium, & est scandalum in separatione. Sic *Special. tit. de dispens. §. Nunc de Episc. n. 17. vers. 144. Salva beneficiorum 4. p. q. 7. n. 140. Bertach. tr. de Episj. l. 4. p. 2. q. 49. n. 139. vers. 141. Conradus in templo judicum, l. 2. c. 5. de Episc. 5. 4. n. 10. vers. 140. Guerrero de potestate Pontificis, c. 17. vers. 127.* Sed hic intellectus etiam displicet, quia textus nihil de dispensatione agit, sed tantum dissimulandum esse dicit, ut illi permaneant in priori matrimonio: si autem concederet Episcopo dispensandi facultatem, prius dispensaturus esset, & dispensatione concessa ineuncum esset matrimonium. Alii intelligunt, dispensationem illam legitimam fuisse, quia falsa causa expressa, fuit solum impulsiva, vel 2. dicunt in eo casu speciali concessisse Pontifex Episcopo dispensandi facultatem, dummodo obtenta dispensatione iterum illi contraheret. Sic *Corduba sum. 45. pun. 1. fine, §. Mas esta tercera razon.* Sed uterque modus intelligendi corruit. Prior, quia si dispensatio legitima fuisset, quamvis scandalum minime sequeretur, dissimulandum esset: quia matrimonium validum erat; Pontifex autem propter grave separationis scandalum, dissimulandum esse dicit. Posterior etiam corruit, quia nec dispensationis, nec iteratæ matr. celebrationis Pontifex meminit, sed solum silentium, & dissimulationem induxit. Legitimus ergo sensus est juxta trad. in 4. concl. & seq. ibi enim conjuges bona fide existimabant se legitime conjugatos esse, & ex veritatis detectione timebatur grave scandalum: qua propter Pontifex tacendum, & dissimulandum esse dicit, illoque in matr. illo putativo, & invincibili ignorantia excusato, permittendos esse. Sic *Goff.* quem referunt, & sequuntur *Adr. quodl. 5. n. 2. lit. E. vers. Sed circa hæc dicta. Met. C. de confess. tr. 2. de confess. dimidiata iteranda, vers. Coroll. sequitur ex dicto. Nav. c. Si quis autem, de pœn. d. 7. a. n. 67. usque ad 73. & 11 consiu 1. edit. tit. de temporibus ordinandorum, cons 9. n. 1. Cov. 4. decr. p. c. 6. §. 10. n. 15 Corduba sum. q. 189. pun. 1. vers. Alo quad notare. Aragon 2. 2. q. 33. a. 6. concl. 3.*

Sunt tamen intelligendæ IV. V. & VI. conclusio, nisi verisimiliter credat confessarius aliunde submovendam esse ignorantiam, ab alio scilicet confessore, qui imprudentius medebitur illi malo; tunc enim consultius esset ignorantem admonere, nisi remedium sit intolerabile. Sic *Cano relect. de pœn. p. 5. f. 101. col. 2. §. Id vero intelligendum est.* Sed credo non esse necessariam hanc limitationem: quia moraliter casus evenire nequit, & esto possibilis esset, confessarius hic bene munus suum obiret tacendo, culpę autem alterius imprudentis imputanda esset admonitio.

14 2. Intelligendæ sunt, nisi pœnitens dubius interrogaret confessorem, vel virum doctum de re illa, tunc enim tenetur veritatem aperire, quamvis profutura non sit, quia jam conscientia pœnitentis læsa est illo dubio, & taciturnitatem confessoris, vel viri docti prudenter posset pœnitens in suum favorem interpretari: quare taciturnitas illa esset erroris approbatio. Sic *Sot. 4. d. 18. q. 2. a. 4 ad 2. Led. 2. p. 4. 8. a. 4. dub. 8. Angles floribus, 1. p. q. 3. de conf. a. 4 diffic. 8. concl 1. Lud. Lop. p. instruct. c. 27. Ad prudentiam quoque confessoris, Corduba sum. q. 189. punct. 5. Enriq. l. 6. de pœn. c. 27. n. 5. Arag. 2. 2. q. 33. a. 6. concl 4. Carth. a Led. de pœn. dub. 13. Gr. Mez. l. 2. sum. c. 3. reg. 2. fi. Manuel 1. 1. sum. 2. edit. c. 62. n. 13.*

Imo aliqui ex his idem dicunt, si pœnitens tanquam scrupulum, quo agitatur, id fassus fuerit. Sic *Sot. Angles, Arag. Bart. a Led. Lud. Lop. ibi.* Sed verius est, quando solus est scrupulus, posse confessarium tacere, vel respondere ut depopulus, nat scrupulum, quia scrupulus non aufert bonam fidem, & ignorantiam invincibilem, sed solum quando conscientia dubia est ex sufficienti fundamento. Sic *Corduba, & Enriquez proxime citati.*

15 3. Intelligendæ sunt, nisi ex ea ignorantia timeatur malum boni communis: tunc enim tenetur Confessarius admonere, quia præferendum est bonum commune privato, & quamvis fructus in eo minime speretur, consuletur tamen bono communi. Sic *Enriq. l. 6. de pœn. c. 27. n. 4.* Exemplum sit, est parochus, qui invincibiliter putat fidelitos solum teneri scire articulos fidei, vel habet errorem in fide, aut moribus, tenetur Confessarius illum admonere quidquid inde sequatur, ne errore illo bono communi ovium sibi commissarum noceat. Unde sit, ut si esset scandalum, publicaque fama nullitatis matrimonii, teneretur Confessarius admonere: quia talis ignorantia est contra bonum commune, sic *Adrian. quodlib. 5. a 2. lit. I. & 4. q. 5. de confess. dub. 7.*

16 4. Intelligendæ sunt, nisi scandalum pœnitenti secutum ex admonitione, momentaneum sit, si enim quamvis tunc admonitionis fructus non sperretur, brevi tamen spes est illum sequendum: tenetur Confessarius admonere. Sic *Adrian. q. 45. de confess. dub. 7. vers. ad 3. dico. Metina C. de confess. tr. 2. q. de confess. dimidiata iteranda, Cano relect. de pœn. p. 5. f. 101. & Id vero intelligendum est, Corduba, sum. q. 189. punct. 3.* Addunt & bene *Metina, & Corduba* præstare post absolutionem admoneri, ne turbatione gratia, & fructus sacramenti impediatur.

17 5. Intelligendæ sunt, nisi Confessarius sit proprius pastor, positque impedimentum probare: tunc enim tenetur admonere, & si pœnitens minime acquiescat, tenetur inferiori denunciare. Sic *Alberic. in suo dictionario, lit. C. verb. Confessor. 2. vers. Quid si præsbyter, Rojel. Confess. sacr. 2. n. 16. Syl. q. 12.* & videtur sentire *Nav. Si quis autem, de pœn. d. 7. n. 72. & su c. 22. n. 83.* ait enim non teneri Confessarium admonere, quando ipse solus novit impedimentum, ubi contrarium videtur sentire, quando alii sciunt, quibus probare illud possit. Sed hoc non placet: quia Episcopus erat, cui scribit *In. 3. c. Quia circa, de conjanguinitate*, facileque poterat de nullitate dispensationis convincere conjuges illos, & tamen scribit Pontifex dissimulandum esse, ut constat ex intellectu tradito n. 12. ergo proprius pastor tacere etiam debet, quamvis impedimentum probare possit, quando fructus non speratur, sed scandalum, separatis conjugibus.

18 Demum intelligendæ sunt, quando scandalum, quod timetur ex admonitione, proveniet ex infirmitate, & quia non possunt commode conjuges separari, propter damna inde consurgentia, secus si proveniret ex malitia conjugum. Sic *Ant. a Corduba sum. q. 189. punct. 3.* Sed non placet, & adhuc in hoc casu oppositum credo: quia rationes pro 4. concl. n. 6. allatæ, contrarium probant: cum enim admonitio illa in pœnitentis bonum ordinetur, quoties id non speratur, sed damnum, ejusque ruina timetur, cessare debet.

19 Ultima concl. Doctor publicus, sive concionator tenetur publice veritatem docere, licet fructus alicujus privati non speretur, sed scandalum, quia doctrina ea ad bonum publicum ordinatur, quare propter privatum malum non est intermittenda. Et hoc probant testim. *D. Pauli, & D. Ambrosii, & cap. Episcopus, 43. d. & cap. Error, d. 83.* quæ attuli pro priori sententia, num 1. ad illam sent confirm. quæ omnia de Doctore publico intelligenda sunt. Sic *Sot. 4. dist. 18. qu. est. 2. art. 4. ad 2. Cano relect. de pœn. p. 5. f. 101.* & *Tessimonia vero, Barth. a Lede. de pœn. dub. 13. Lod. 2. p. 4. q. 8. a. 4. d. 8. Arag. 2. 2. q. 33. a. 6. concl. vult. Monnes de ordine judiciali, c. 1. n. 4.* Animadvertunt tamen, & bene *Sot. & Ledesm. & Barth. a Ledesm.* si timeretur periculum in tota republica scandalum, in aliud tempus differendam esse eam doctrinam.

20 Ad arg. proposita n. 1. ad primum dic antecedens esse verum, quando pœnitens dubitaret, teneretur enim data opportunitate consulere doctiores, quando autem minime dubitat, nil est quod ipsum urgeat ad interrogandum. Ad 2. dic concludere teneri Confessarium admonere, quando fructus in pœnitente speratur, secus eo cessante: quia monitio illa ad bonum ipsius ordinatur. Ad 3. dic eam regulam, ut illius scandalum, & cetera, intelligi sic, quando aliquid tine peccato mortali fieri non potest, vel omitti, faciendum non est, vel omittendum propter scandalum: secus quando fieri potest, vel omitti absque peccato: & ita explicatur *c. 2. ad fi. de novi operis nunciat. junt. l. gl. verb. Dimittenda:* & ita etiam explicat *D. Th. 2. 2. q. 43. a. 7. corp.* Ad 4. dic illum textum loqui de errore culpabili, secus de invincibili. Ad 5. constat ex dictis n. præced.

DISPUTATIO XXXIX.

Utrum conjux occultæ nullitatis matrimonii conscius, quia scit priorem virum superstitem esse, vel præsentem esse sibi affinem, dum non cessat impedimentum morte prioris viri, vel dum non impetratur dispensatio alterius impedimenti, possit in eo matr. perseverare, ad vitanda scandala, quæ separatione sequentur, vel mortem sibi inde imminentem, aut quia excommunicatione compellitur ab Ecclesia?

SUMMARIUM.

Quot sint quæstiones disputandæ, n. 1. & referuntur tres sententiæ, num. 2. 3. & 4.
Impugnatur 1. sententia, n. 5. & secunda, n. 6. & tertia, n. 7.
Dictiones implicativæ quid importent, num. 6. & ibi erubescimus, fine textu loqui.
Conjux sciens impedimentum, nullo timore, quamvis excommunicetur, potest reddere debitum, 8.
An vere coram Deo ille conjux excommunicatus sit, & generaliter quando inoncens excommunicatur, juxta allegata, & probata, n. 9. & explicatur c. Litteras, de rest. spoliat.
An si impedimentum cessarit, teneatur hic conjux obedire Ecclesiæ, denuo contrahendo, num. 10. & an teneatur obedire quoad cohabitationem, n. 11.
Ubi an ficte professus teneatur vere profiteri Ecclesia præcipiente.
Solvuntur argumenta, & explicatur c. Duo mala, d. 13. n. 12.
An sit bonum medium, fugere, dum impetratur dispensatio, 13.
Potest esse remedium impetrare, si matr. sit ratum, dispensationem Pontificis, vel ingredi religionem: & an teneatur is conjux ingredi. 14.
Item petere divortium, si causa subsit, num. 15. & an possint illi simul habitare tanquam fratres, vel an possit femina pati concubitum, non se accommodando, 16.
An possit his consuli Episcopi dispensatione: remissive, 17.

DUplex quæstio agitanda est: altera, an excusetur conjux impedimenti conscius a culpa, reddendo debitum, ad vitanda majora damna. Altera, si hoc non liceat, quo medio uti possit ad ea damna vitanda. 1

Quæstio I. Utrum conjux impedimenti conscius occulti, possit reddere debitum, dum ab Ecclesia compellitur per excommunicationem, vel mortem sibi timet, ni reddat? Tres sent. sunt. 1. ait licere conjugi illi reddere, excusarique a culpa ob Ecclesiæ præceptum. Prob. 1. quia licet re vera non sit matrimonium, ex parte tamen alterius, matrimonium est, & copula est licita, excusante illum ignorantia invincibili, & jus petendi habet: ergo alter reddens debitum non consentit in opus peccati, sed in opus justitiæ. 2. quia æque intrinsece malum est, occidere innocentem, ac accedere ad non suam, sed illud licet judici, quando juxta allegata, & probata est nocens, secundum veriorem sent. ergo hoc pariter licebit, quando secundum allegata, & probata sunt illi veri conjuges. 3. quia peccatori occulto publice petenti, tenetur Parochus ministrare sacramenta, quamvis alias sacrilegium esset, ergo similiter licet sit peccatum accedere ad non suam, si tamen occultum est non esse suam, & vir bona fide debitum petat in foro Ecclesiæ, licebit ei reddere. 4. quia ex duobus malis minus est eligendum, *c. Duo mala, d. 13.* sed minus malum est, reddere debitum mandato Ecclesiæ, quam id denegare: hoc enim est crimen inobedientiæ, ex eoque scandala, & uxoricidium sequentur: illud autem est crimen fornicationis, quod minus est. Et confir. quia licet fornicationem admittere, sit intrinsece malum, non tamen est id permittere, imo est licitum ad vitanda majora mala: qua ratione meretrices permittuntur: ergo quamvis non liceat huic conjugi petere debitum quod est facere, licebit tamen permittere, ut vir utatur suo corpore, reddendo ei debitum, ad majora damna vitanda. Hanc tenent *Magist. 4. d. 38. fi. Hugo de S Victore de sacr. p. 11. c. 6.* & aliqui recentiores (ut refert *Metina C. de rest. q. 19. ad fi. in solut. ad 2. rationem*) idem *Sepulveda libel. de bene vivendi inst. c. de mendacio: & Greg. Lop. l. 2. t. 3. p. 4. verb. Quanto a Dios*, dubius in hac quæstione reliquit cogitandum: & tempore Soti tenuit eamdem sent. alius Theologus, quem ipse tacito nomine refert *4. d. 28. q. 1. a. 2. ad 4.* Et ex jurisperitis idem tenet *Hostiens. sum. tit. de conj. serv. n. 8.* ubi dicit virum certum de uxoris servitute posse pendente lite, Ecclesiæ præcepto compulsum, reddere debitum, imo & exigere absque animo uxorio: cum tamen constet id non esse matrimonium, idem tenet *Perez. l. 5. ordin. 1 l. 1. f. 16. §. Dubium est*, ubi dicit conjugem impedimenti conscium debere tacere, quando id probare nequit, nec inventur medium ad dissolvendum matrimonium.

II. Sent. est cum distinctione hac, si impedimentum dirimat matrimonium jure naturali, tunc nullo modo potest conjux impedimenti conscius reddere debitum, quantumcumque per Ecclesiam probationis defectu compellatur: si vero tantum dirimat jure Ecclesiastico, potest. Ratio disparitatis est, quia in impedimentis jure naturali dirimentibus nequit Ecclesia dispensare: & ita non potest inter eos constare matrimonium, quare copula illa erit fornicaria: at cum possit dispensare in impedimentis jure humano dirimentibus, eo ipso quod Ecclesia cogit reddere debitum viro impedimenti ignaro, censetur per Episcopum dispensare in eo impedimento, & ita convalidabitur illud matrimonium, ac subinde non peccabit reddendo, nec petendo. Hanc refert *Inn. 3. c. Litteras, de rest. spol.* inter alias, quas ibi refert, & subdit, *Nonnullam harum sententiarum reprobamus: & Palud. 4. d. 36. q. 2. a. 2. n. 14.* refert quoldam hoc sentire. Et pro eadem sent. refertur *Hostiens. c. Proposuit, de conj. serv.* sed non inveni, ubi eam teneat: *& Adrian. quodlib. 1. a. 3. ad 3. fi.* relata hac sent. dicit se nescire ubi reprobetur ab Ecclesia: & expressius quam alii, hanc tenet *Enriq. lib. 12. de matr. c. 3. n. 2. in comment. lit. K.* & ait favere hanc sent. *Nav. & Cov. in locis per ipsum allegatis*: sed neuter illi favet. 3

III. Sent.

4 III. Sent. est *Philiarci de offe. sacerd. t. 1. p. 2. l. 2. c. 14. & 15.* ubi duo dicit. Alterum est *illo c. 14.* quoties judex impedimenti conscius nequit consensum novum extorquere, neque indirecte, obtenta dispensatione, sine periculo vitæ propriæ, vel aliorum, potest Pontifex dispensare, ut satis fit is tacitus consensus, quo alter conjux impedimenti ignarus accedit affectu uxorio: de hac enim ejus capitis dicit non sufficere in hoc casu significare Pontifici impedimentum, sed esse etiam necessarium exprimere, non posse absque periculo peti novum consensum, ut in eo dispenset. Probat, quia vigore hujus taciti consensus ante Trid. ipsa filia transibant in matrimonium, eo quod Ecclesia præsumebat eam copulam affectu uxorio haberi *c. In qui fidem, de spons.* sed in hoc casu multo major est præsumptio, quod vir eo affectu accedat, cum enim putet suam esse uxorem, manifestum est affectu uxorio accedere: ergo a fortiori in hoc casu potest dispensare. 2. quia quando duo jura concurrunt, fortius prævalet, sed hic concurrunt duo jura, alterum ad matr. requiri novum consensum liberum, cum enim ablato impedimento valere incipiat, tunc debet adesse novus consensus: alterum vero, de vita, & fama tuenda, sed hoc est fortius, cum sit cujuscumque juris naturalis finis, & nequit servari, si alterius novus consensus exquiratur: ergo jus naturæ superveniens fortius, faciet ut prior consensus, licet invalidus, ita confirmetur, ut non sit opus illum denuo formaliter elici. Et confirm. quia quando impedimentum dirimens, est solo jure Ecclesiastico statutum, consensus præstitus fuit solo jure Ecclesiastico nullus, ergo solo jure Ecclesiastico est renovandus, & subinde poterit Pontifex dispensare, & renovetur, & prævalebit illi jari Ecclesiastico jus naturæ de vita, & fama conservanda. Alterum quod dicit *Philiarc. d. c. 15.* est, si impedimentum sit de jure naturæ, & indispensabile, occultum tamen, & ab altero conjuge ignoratum, nec alter potest impedimentum detegere absque vitæ periculo, quamvis Pontifex nequeat dispensare, ut matr. contrahatur: at declarare potest ob bonam alterius fidem, & feminæ periculum, licere reddere debitum, sed non petere, & dum hæc declaratio impetratur, si mulier nequeat separari, nec aliquam negandi debitum excusationem proponere absque vitæ, & famæ periculo, probabile est posse reddere, & non petere: & probat argumentis prioris sententiæ. 1

5 Sit tamen I. concl. Prima sent. est falsissima, & valde in fide periculosa. Prob. 1. ex *c. Inquisitioni, de sent. excom.* ibi, *Credimus respondendum, utrum alter conjux pro certo sciat impedimentum conjugii, propter quod sine morta i non valet carnale commercium exercere, quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit: an non sciat pro certo: sed credat. In primo casu, debet potius excom. sentent. humiliter sustinere, quam per carnale commercium, peccatum operari mortale, & c. Litteras, de rest. exp.* ibi. *Porro cum mulier, quæ consanguinitatis habet notitiam, præsertim in gradibus, quos lex divina prohibuit, non posse viro sine peccato mortali carnaliter commisceri, frustra in tali casu adjudicaretur restitutio spoliato, cum illa contra Deum non debeat judici in hoc obedire, sed potius excommunicationem humiliter sustinere, & ad finem*, cum dixisset textus reddendam esse viro donec probet impedimentum, subdit, *Ad restitutionem plenariam, debet Ecclesiastica cenfura compelli; quam tamen ipsa, toro negando consortium, debet humiliter sustinere.* Prob. quia inde sequeretur fornicationem aliquando esse licitam, ut præcipienti superiore; vel ad evitandum vitæ, vel famæ periculum: quod sane videtur erroneum, cum sit intrinsece mala: sequela autem probatur, quia fornicatio est accessus ad non suam, sed conjux impedimenti conscius, certo scit non esse suam, ad quam accedit, ergo certo scit se fornicari: si ergo accedere licet reddendo debitum, licebit subinde eo in casu fornicari. 3. quia implicat dicere, licere minus peccatum admitti, ad cavendum majus, peccatum enim nihil aliud est, quam id quod non licet: nec valet dicere, desinere esse peccatum in tali eventu: quia licet hoc verum sit de peccatis, quæ talia sunt, quia prohibita, at de peccatis quæ suapte natura talia sunt, & intrinsece mala, ut est fornicatio, hoc dici nequit. Et ita ex Theologis tenent *D. Th. 4. d. 27. q. 1. a. 2. qu. 4. fi. & d. 38. in fin. verbis, D. Bonav. ead. d. 38. in exposit. lit. Magistri, fi. Durand. ead. d. 38. init. in exposit. ejusdem lit. Ricard. ead. d. fi. Pal. 4. dist. 36. q. 2. a. 2. n. 15. D. Ant. 3. p. t. 2. c. 19. ante §. 1. & c. 3. §. 2. Abul. c. 19 Matr. q. 72. Metina C. de restit. q. 19. ad fi. in solut. ad 2. rationem. Victorium sum. de matr. nu. 264. Petr. de Soto lect. 3. de matr. ante §. Requiritur ergo, Sot. 4. d. 27. q. 1. ar. 3. vers. Quæ ergo gradatim, & d. 28. q. 1. a. 2. ad 3. & d. 37. q. un. a. ult. fin. Ledesf. 2. p. 4. q. 48. a. 2. Verac. 3. p. Specu. a. 18. concl. 1. Cord. l. 1. quæst. q. 11. ad fi. §. pen. Petr. de Ledesm. de matr. q. 45. a. 4. dub. 2.* & omnes alii Neotenci. Et ex jurisperitis, *gl. c. Litteras, verb. Tolerare, de restit. spol. & c. Inquisitioni, verb. Humiliter, de sent. excom. & ibi Host. super verb. Verum, Jo: And. nu. 7. Ant. 17. Card. qu. pen. Anch. n. 3 Turrecr. c. Cujus rei, 29. qu. 2. & c. Si virgo, 34. q. 2. Rojella verb. Impedimentum, imped. 1. n. 8. Ang. verb. Debitum, n. 18. & matr. 2. n. 15. Sylv. matr. 2. q. 15. & matrim. 4. q. 8. & matr. 6. q. 4. & verb. Debitum, fine, ibi Anem. fin. Tab. matr. 4. q. 11. n. 12. Nav. sum. c. 16. n. 39. & sum. Hisp. c. 22. n. 76. Cov. 4. decret. 2. p. 7. §. 2. n. 7.* & ex his Doctoribus vocant falsam, primam sententiam *D. Th. & Durand.* & alii dicunt esse erroneam, ut *Corduh. & Petr. de Ledes.*

6 II. Concl. Secunda sententia nullo modo placet. Prob. quia *c. Inquisitioni, de sent. excom.* indistincte loquitur de impedimento, & dicit nullo modo impedimenti conscium posse reddere. Et *c. Litteras, de restit. spoliat.* dicitur conscium consanguinitatis, præsertim in gradibus divina lege prohibitis, non posse reddere: ergo idem clare sentit textus in gradibus humana lege prohibitis: nam dictiones implicativæ, ut sunt maxime, præsertim, etiam, implicant idem esse in casu contrario; licet in illo fortior militet ratio: ut ex multis late probat *Everard. loco a natura dictionum implicativarum, n. 1. Gutier.* alios referens *l. 1. q. can. c. 20. n. 5.* Item quia stante impedimento jure humano dirimenti, matrimonium est irritum, ergo si illius conjux conscius reddat debitum, accedit ad non suam, & ita fornicatur: nec obstat dicere Ecclesiam dum cogit ad reddendum, censeri dispensare per Episcopum in eo impedimento: quia sine textu, & firma ratione id asseritur: & erubescimus, sine textu loqui, *l. Dissentiet*, ibi, *Nulla præcipit juris constitutio*, & ibi notat *Alber. C. de repud. l. Si vero, §. de viro, ff. solut. matr.* Præterea, quia alias detecto postea impedimento alteri conjugi, non esset separandi, nec procuranda esset dispensatio, cum jam Ecclesia dispensarit, eo ipso quod reddere cogit, & firmatum sit matrimonium. Item quia Ecclesia procedit ex falsa præsumptione, quia juxta allegata, & probata credit illud matrimonium valere, & ob illud cogit reddere debitum, & eodem modo cogit, sive sit impedimentum illud occultum juris divini, sive humani, ergo per eam coactionem nullo modo dispensare in impedimento intendit, si quidem coactio illa eo tendit, ut conjux obligationi respondeat reddendi debitum, quam Ecclesia credit habere, non autem ut denuo matrimonium convalescat. Deinde, quia esto vellet Ecclesia ea coactione dispensare in impedimento, non subinde liceret conjugi sic coacto reddere debitum. Quia esse necessarius novus utriusque consensus, ut id matrimonium redderetur validum, ut diximus hoc 2. lib. disp. 35. num. 2. Hanc tenent *D. Ant. 3 p. tom. 1. cap. 3. §. 2. Palud. Metina, Cov. num. præc. allegati*: & favent reliqui DD. quos ibi retuli, universaliter enim fere omnes illi de impedimento loquuntur.

III. Concl. tertia sent. est falsissima quoad utrumque dictum. 7
Prob. quia cum Ecclesia nequeat detectum consensus ad matrimonium requisiti supplere: ut probavimus hoc 2. l. disp. 27. num. 2. sed is debeat ab ipsimet contrahentibus præstari, si tacitus ille consensus per copulam, altero impedimenti ignaro, faris non est ex se ad prius matrimonium invalidum, ratificandum, non poterit Ecclesia dispensatione efficere, ut satis fit: ergo primum dictum illius sententiæ falsum est, 2. aurem falsum esse convincitur rationibus, quibus impugnata est prima sententia.

Ex his infertur tanquam certissimum tenendum esse, conjugem nullitatis matr. conscium ob impedimentum dirimens sive divino, sive humano jure, in nullo eventu posse reddere debitum conjugi ignoranti, licet excommunicetur ab Ecclesia, vitæque periculum subeat, gravissimaque sequantur scandala: ut probavi in 1. & 2. conclusione. Et constat ex authoribus in illis allegatis. 8

Sed dubitabis an is conjux impedimenti conscius, si ab Ecclesia excommunicetur, quia debitum negat, sit vere excommunicatus? Nam *c. Litteras, de rest. spoliat. ad fi.* videtur probare esse vere excommunicatum: cum enim dixisset textus, per censuras compellendum esse, dum non probat impedimentum, inquit, *Donec probationes offerat præparatas; & tunc absolutione petita, secundum formam Ecclesiæ absolvetur*, ergo vere excommunicationem incurrit, alias frustra absolutio petenda esset. Et hinc partem tenent *Abulens. c. 19. Matth. q. 72. Palud. 4. dist. 27. q. 2. n. 37.* & subdit ibi, *& in n. 43.* post latam excommunicationem nihil prodesse fugam, excommunicatio enim ossibus adhæret. Si hæc quæstio radicitus hic tractanda esset, longam peteret disputationem, pendet enim ex ea, quæ in materia de excommunicatione tractari solet, an quoties excommunicatio est justa ex parte judicis, quia juxta allegata, & probata procedit, quamvis injusta sit ex parte ipsius rei, qui vere innocens est, ut contingit in casu præsenti, sit valida in utroque foro, qua in re multi partem affirmantem tuentur, & ita sentiunt in hoc casu. Alii vero, & multo probabilius tenent eam excommunicationem vere coram Deo non ligare, & ita in nostro casu dicendum est: & tenent in propris terminis *gl. cod. c. Litteras, verb. Tolerare, Victoria, summa de matr. n. 264. Ledesma, 2. p. 4 48. a. 2.* & ratio est, quia excommunicatio minime incurritur, nisi ob inobedientiam lethalem, quæ prorsus abest in hoc casu, & rigiditissimam esset asserere, eum vere excommunicatum esse, qui Dei timore ductus, Ecclesiæ falsa præsumptione innitenti non obedit. Nec obstat *d. c. Litteras*, exigit enim absolutionem pro foro externo, in quo ea excommunicatio valida erat.

Rursus dubitabis, utrum si impedimentum dirimens jam cesserit, dispensatione illius obtenta, vel propria voluntate tolli possit, quia matrimonium est irritum, eo quod contractum sit metu cadenti in virum constantem, & quia probari non potest, Ecclesia compellit reddere debitum, teneatur obedire denuo consentiens matrimonio conjux ille? *Palud. 4. d. 36. q. 2. art. 5. n. 33.* & 34. affirmat teneri ob scandalum vitandum. Sed melius *ipsemet a. 6. n. 45.* dicit non teneri obedire, nisi culpa sua prius matrimonium esset irritum, ut quia ficte contraxit. Durissimum enim esset, innocentem, nec matrimonio ligatum obligare ad matrimonium ineundum, præsertim cum Ecclesiæ præceptum ex falsa præsumptione procedat. 10

Hinc infertur minus bene afferere aliquos teneri hunc obedire quoad cohabitationem, si potest citra incontinentiæ periculum. 11

lum. Hi sunt, *Ang. verb. Debitum*, n. 19. ubi *Arm. fi. Rosel. verb. Impedimentum*, *impedim.* 1. *nu.* 8. *Sylv. cum Fugone per verb. Impedimentum*, *matrimonium* 6. *q.* 4. *Tab. matrimonium* 4. *qu.* 11. *ipsum relato*, *matrimonium* 6. *q.* 4. *Lud. Lop.* 1. *p. instr. c.* 87. § *Pornu.* 12. *Nav. sum. c.* 16. *nu.* 39. *Lud. Lop.* 1. *p. instr. c.* 87. § *Porro si aliqua*. Sed verius est, cum Ecclesiæ præceptum falsæ præsumptioni innitatur, nullo pacto obligare: verum si sequerentur Canalanus, nec copia esset fugiendi in locum ubi cessaret, teneri quidem cessante incontinentiæ periculo, cohabitare, non ratione præcepti, sed ratione scandali. Sic *Petr. de Led. de matr. q.* 45. *a.* 4. *dub.* 2. *ad* 2. *fin.* Et in alio simili, de religioso ficite profesio, docent eam non teneri vere profiteri ratione sententiæ Ecclesiæ fundatæ in falsa præsumptione, sed ratione scandali, atque ita cum fugere posse, ubi scandalum vitetur, *Sotus l.* 7. *de just. q.* 1. *a.* 2. *vers. An vero qui tale votum*, *Nav. c. Statuimus*, 19. *q.* 3. *n.* 75. *Enriq. l.* 11. *de matr. c.* 11. *n.* 3 *fi. Angles floribus* 2. *p. q.* 1. *de vot. a* 1. *di. fic.* 4. *concl.* 3. *Manuel* 2. 1. *sum. c.* 92. *n.* 5. *Aragon* 2. 2. *q.* 88. *a.* 1. *concl.* 2. *fin.* Nec credo DD. allegatos oppositum sentire, sed ratione vitandi scandali dicere teneri obedire.

12 Ad arg. primæ sententiæ proposita n. 2. respondetur ad 1. negando antecedens, ex parte enim neutrius est matrimonium, nec habet conjux ignarus impedimenti verum jus petendi debitum, & ita si alter consentiat reddendo, admittit id, quod a parte rei est peccatum, quamvis alter ratione ignorantiæ excusetur. Ad 2. responderi solet negando consequentiam, quia occidere innocentem in eo casu, est medium ad reipublicæ pacem necessarium, non autem accedere ad non suam. Sed dupliciet solutio, quia si occidere innocentem sit intrinsece malum, in nullo eventu potest esse licitum: ideo melius respondetur occidere innocentem cognitum innocentem, esse intrinsece malum, secus quando invincibiliter ignoratur innocens, & creditur reus, & ita licitum est judici occidere, quia invincibiliter ut judex ejus innocentiam ignorat, & credit esse reum: non enim judex ducendus est privata scientia, sed publica, siquidem non ut privata, sed ut publica persona procedit; & similiter accedere ad non suam, quando invincibiliter credit conjugem esse suam, licitum est: at conscius impedimenti, tantum abest, ut invincibiliter reputet esse suam, ut potius certo sciat non esse suam. Itaque probationes delicti, quantumcumque judex ut privatus sciat illum a delicto immanem esse, efficiunt judicem ut sic, ignorare invincibiliter innocentiam, & excusari innocentem puniendo: at probationes valoris matrimonii non causæ sunt ignorantiæ invincibilis in conjuge impedimenti conscio: cum ut persona privata utatur matrimonio, & ita scientia privata duci debeat. Ad 3. neganda est consequ. quia peccator occultus jus habet justitiæ tuendi famam, & ne publice infametur, negata sibi Eucharistia: vir autem non habet verum petendi jus, quando matrimonium est invalidum, sed tantum ex ignorantia putat se habere. Ad 4. dico illud *c. Duo mala*, intelligi de malis pœnæ: vel si intelligatur de malis culpæ, non debere intelligi de his, quæ intrinsece mala sunt, quale est fornicatio, in nullo enim eventu possunt esse licita: sed de iis, quæ mala sunt, quia prohibita. Sic enim licitum est ad vitandam mortem, furtum, aut jejunium frangere: Ecclesia enim non tanto rigore obligat. Ad confi. dico permittere in alio, quando vitare non possum, non esse facere, sed licitum ad vitandum majus malum: in seipso autem permitterè, esse vere facere, & fornicari. Ad arg. 2. sent. propositum n. 3. negandum est, Ecclesiam dispensare: ut probavi n. 6. *Ad* 1. arg. tertiæ sent. dico Ecclesiam non dispensasse, ut sufficeret ille tacitus consensus ante Tridentinum, sed ex natura rei illum fuisse sufficientem, & Ecclesiam præsumpsisse illum consensum, & subinde ex eo matrimonium consurgere: quare non probat, Ecclesiam posse supplere consensus defectum: nec in nostro casu, est præsumptio voluntatis dendo contrahendi, cum enim vir putet esse suam, solo animo utendi matrimonio jam contracto, quod legitimum esse putat, accedit. Ad 2. negatur minor, nam matrimonium absque consensu non consistere, est ita necessarium, ut sit penitus indispensabile: at vitæ, & famæ jacturam facere sæpe licet. Ad confirm. negatur consequ. quamvis enim solo jure Ecclesiastico consensus fuerit nullus, at cum re vera perinde sit, ac si non esset præstitus jure naturali est renovandus, cum jus naturæ sit, ut matrimonium mutuo consensu celebretur.

13 Quæstio II. quibus mediis juvari possit conjux impedimenti conscius, quod sine infamia, aut vitæ periculo detegere nequit, & esto detegat, probare nequit, & compellitur ab Ecclesia per excommunicationem, ut reddat debitum, & forte impedimentum est indispensabile, vel si dispensabile sit, quid faciet dum obtinetur dispensatio. Varia remedia proponunt DD. Primum est, in locum fugere, ubi scandalum cesset. Hoc tradit *D. Th.* 4. *d.* 27. *q.* 1. *a.* 2. *quæstiunc.* 4. *fine*, *Villoria sum. de matr. n.* 264. *Ledesm.* 2. *p.* 4. *q.* 48. *a.* 2. *Corduba l.* 1. *quæstion. q.* 11. *a.* 2. *ad fin. dictio* 3. *Lud. Lop.* 2. *p. instruct. de matr. c.* 39. *ad fi. Manuel* 1. *tom. sum.* 2. *edit. c.* 208. *n.* 7.

14 II. Medium est, si matr. nondum consummatum sit, petere Pontificis dispensationem, vel religionem ingredi. Imo aliqui dicunt teneri ingredi, quos tacito nomine refert *Petr. de Led. de matr. q.* 45. *a.* 4. *dub.* 2. *ad* 2. & bene respondet, quia quantumcumque graviter peccarit conjux ille decipiendo, non intendit se ad religionem obligare: nec ad medium tam difficile constringendus est, nisi ipse sua se sponte obligarit.

III. Medium est, ut conjux impedimenti conscius petat divortium, ob sævitiam, vel adulterium alterius: si forte hæ causæ concurrant. Sic *Cord. l.* 1. *quæstion. q.* 11. *a.* 2. *ad fi. dictio* 3. 15

IV. Medium est, ut conjux impedimenti conscius habitet cum altero tanquam frater, & soror: juxta *c. Laudabilem*, *de frigidis & maleficiis*. modo non sit congressus periculum. Hoc tamen medio moraliter loquendo nunquam uti licebit: quia semper id periculum versatur. Aliqui tamen asserunt teste *Corduba l.* 1. *quæstion. q.* 11. *ad fin.* §. *penult.* feminam impedimenti conciam subterfugere nullo modo potentem, posse cohabitare animo negandi debitum, & resistendi quantum potuerit: quod si non consentiat, nec ullo modo corpore cooperetur, sed ut coacta, tacens, & immota patiatur, & permittat, esse tutam. Et potest probari ex doctrina *Soti l.* 5. *de just. q.* 1. *a.* 5. *ad* 3. *Nav. sum. c.* 16. *n.* 1. & 13. *Enriq. l.* 12. *de matr. c.* 6. *n.* 8. *Lud. Lop.* 1. *p. instr. c.* 73. ubi dicunt feminam non peccare, quando non est periculum consensus, si membris non resistat, dummodo non se componat, aut præparet ad actum illum, ne cooperetur. Sed merito *Corduba*, reprobat hanc sent. dicens esse periculosam, & erroneam: quia *Sotus*, & *reliqui allegati*, concedunt licere non resistere membris, dummodo femina nullo modo illi actui se accommodet, sed cum eo viro manendo, videtur se illi sceleri accommodare: maxime quia est probabilissimum consensus periculum, magnaque temeritas esset, tali periculo se exponere.

Utrum vero possit huic conjugi consuli dispensationem Episcopi ad contrahendum denuo non obstante illo impedimento, dicam disp. seq. 17

DISPUTATIO XL.

Utrum possit Episcopus dispensare in matrimonio illo contracto cum impedimento illo dirimenti occulto, ut iterum celebrari possit, ne conjux illius conscius, destitutus remedio maneat, excommunicetur ab Ecclesia, possitque eam dispensationem alteri delegare?

SUMMARIUM.

Quid certum sit, & in quo versetur difficultas, & quot sint quæstiones disputandæ, num. 1.
Pontur opinio negans posse ratione cujuscumque necessitatis, 2.
Contraria verior, *num.* 3. *& ibi*, *quando possit Episcopus in lege Pontificis*, *vel Concilii dispensare. Et quid*, *si ambo*, *aut alter malam fidem habeant*, *& quid*, *si non sint præmissæ monitiones*, *& quando dicatur mala fides*, *nu.* 4. *& ibi explicatur Trident. sess.* 24. *de matr. c.* 5. *& ibi*, *quando dicatur scienter fieri*, *vel præsumi*.
Quid, *si contrahentes divides sint*, *n.* 5. *& quid*, *si duo sint impedimenta*, 6.
An possit Episcopus aliquando ante contractum matrimonium dispensare in impedimento dirimenti, *n* 7. *& ibi*, *quid in voto castitatis*, *& quæ media dari possint ad desistendum ab illo contractu matrimonii*, *absque infamia*.
Quid, *si recusus sit ad nuncium*, *vel commissarium cruciatæ habentem dispensandi facultatem*, 8.
An qui haberet privilegium dispensandi in casibus Episcopo reservatis, *etiam ad matrimonium pertinentibus*, *possit dispensare in prædicto impedimento*, *quando potest Episcopus*, 9.
An prosit hæc dispensatio pro foro externo, *n.* 10. *& quando dicatur impedimentum occultum*, 11.
An possit Vicarius Episcopi in eo dispensare, *& generaliter possit dispensare ex vi officii Vicarii*, 12.
Post nu. 12 *invenies summaria*, *quæ desiderantur*.

In hac disp. nemo dubitat, solius Pontificis esse, potestate ordinaria in impedimentis matr. dirimentibus, dispensare: hæc enim omnia decreto Pontificio, vel Concilii generalis statuta sunt: in cujus leg: tanquam superioris, non posse Episcopum, qui inferior est, dispensare, fatentur omnes: & præsertim *Archid. c. Licet canon. de elect. in* 6. *Abb. c. Cum dilecti*, *n.* 10. *de elect.* communis Doctorum *c. At si clerici*, § *fin. de judiciis*, ubi *Felin. nu.* 5. *Rebuff. tract. nominationum*, *qu.* 5. *nu.* 32. *Cov.* 4. *decret.* 2. *p. c.* 6. *in princ. nu.* 15. & 5. 10. *nu.* 11. *Gutier. l.* 1. *qu can. c.* 4. *nu.* 10. Difficultas autem est, an aliquando ratione imminentis necessitatis possit. Secundo, utrum prædictam facultatem delegare possit? 1

Quæstio I. Utrum in casu magnæ necessitatis possit Episcopus dispensare in impedimentis matr. dirimentibus. Duplex est sent. I. negat: quia non potest Episcopus in lege Pontificis, vel Concilii dispensare (ut probavi n. 1.) quia hæc impedimenta statuta sunt. Sic *Sotus* 1. *de just. q.* 7. *a.* 3. *vers. At vero scireitaris*, & in hac inclinat *idemmet* 4. *d.* 37. *q. un. a.* 2. eamdem tenet *Corduba l. quæstion. q.* 11. *vers. Hæc igitur secunda opinio*, *& summ. q.* 45. §. *El segundo punto de esta primera opinion. Veracruz* 3. *p. spec. a.* 18. *fin. Fr. Matina* 1. 2. *qu* 97. *a.* 4. 2

II. Sent. multo verior affirmat posse, concurrentibus his circumstantiis, ut si matr. sit publicum, impedimentum autem occultum, & sit scandalum in separatione, nec ad Pontificem aditus pateat inopia, aut alia justa causa impedienti. Prob. 1. quia quamvis regulariter nequeat Episcopus in lege Pontificis, aut Concilii dispensare, potest tamen in casu urgentis necessitatis, quando ad

do ad Pontificem aditus non patet, ut docent *Lignad.*, *c. At si clerici*, §. *de adult. de judiciis*, ubi *Abb. a.* 9. *Bald. l. Omnes populi*, *n.* 8. *ff. de just. & jure*, *Rom sing.* 468. *speculi. tit. de dispens.* §. *Nunc de Episcoporum*, *n.* 30. *fi. Fel. c.* 1. *Fellent. 7. d. consil. Cotta in memorialibus verb. Episcopus Mitis in repert. verb. Dispensare potest Episcopus. Rebuf. praxi benef. t. de dispens. ad plura beneficia*, *n.* 30. & 31. *Lambert. de jure patron. l* 2. *p.* 1. *q.* 7. *a.* 19. *n.* 2. *Ber. Diaz reg.* 238. *Lud. Gom. tract. brevium*, *nu.* 21. *Duennas reg.* 248 *lim.* 2. *Stephileus de literis gratiæ*, 1. *De qualit. & statu benefi.* § 1. *quod fit legit. n.* 5. *Cuc. l.* 2. *inst. major. t.* 6. *n.* 334. *Gut. q. can. l.* 1. *c.* 23. 18. *Grat. reg.* 433. *n.* 8. Sed in hoc casu concurrit gravissima necessitas, ne ii, qui Pontificem consulere nequeunt, destituti remedio maneant, cum absque scandalo separari nequeant, eo quod prolem habeant, quæ parentibus destituta, commode educari non potest, vel alter solus impedimentum novit, nec cum occultum sit, probare potest, vel illud absque famæ jactura deregere non potest: vel si utrique impedimenti conscius sit, cum probare nequeat, absque scandalo separari non potest, nec permittitur aliud matr. inire: atque ita maximo incontinentiæ periculo expositus erit, ergo poterit Episcopus ratione hujus necessitatis dispensare. 2. quia Episcopus potest in sua diœcesi, quiequid Pontifex in tota Ecclesia, nisi aliquid Pontifex reservet: ut probavi l. 1. disp. 61. n. 3. Quare si Episcopus dispensare nequeat in his impedimentis, inde provenit, quia Pontifex sibi reservat: sed non est verisimile in casu tantæ necessitatis reservare: ergo potest Episcopus. Prob. minor, quia reservatio hæc fit ob charitatem, bonamque reipublicæ gubernationem: esset autem contra charitatem, & suavem Ecclesiæ gubernationem in casu tantæ necessitatis, quando aliter scandala, & peccata vitari non possunt, manerenque homines remedio destituti, reservationem intelligi, ergo in eo casu intelligenda non est. 3. quia fortior est reservatio, dum Pontifex reservat sibi absolutionem alicujus criminis, præterquam in mortis articulo, & tamen probabilissimum est posse Episcopum absolvere, quando ratione impedimenti non sent. recursus ad Pontificem, ut tenent DD. quos refert *Enriq. lib.* 6. *de pœn. c.* 16. *n.* 1. & *c.* 9. *n.* 7. & *c.* 10. *n.* 1. & 2. ubi idem asserit de casibus reservatis in motibus propriis Sixti Quinti, non obstante rigidissima reservatione, cum derogatione bullæ, & Tridentini, ergo a fortiori in nostro casu, ubi non tam rigida, & stricta reservatio est, poterit Episcopus. Quare hanc partem sustinent *Angles verb. Dispensatio*, *n.* 5. *vers. Secundo*. ubi *Syl. q.* 9. §. 15. *Tabien. q.* 14. *fin. Armil. verb. Dispensare*, *n.* 20. *Nav. sum. c.* 22. *Hisp. n.* 86. *Lat. n.* 85. *Ant. Cuc. l.* 2. *instit. major. t.* 6. *n.* 310. *Spino spec. testament. gl.* 15. *n.* 86. *Enriq. l.* 6. *de pœn. c.* 10. *n.* 1. & *l.* 12. *de matr. c.* 3. *n.* 2. *Barth. a Ledesf. de mate. dub* 50. *ad fin. f.* 1251. *Camaul. l.* 2. *decisionum*, *c.* 80. *n.* 14. *Manuel bulla cruciatæ*, § 13. *n.* 6. *fine*, *Ant. Gom. eadem bulla*, *claus.* 10. *n.* 58. *Lud. Lop.* 2. *p. instruct. c. ult. ad fi.* §. *Porro hic etiam illa quæstio* (quamvis dubitans loquatur, ait enim forte ita esse) *Vivald. candel.* 1. *p. de matr. n.* 248. *Vega l.* 6. *sum. cajus* 143. *fi.* & *l.* 1. *casu* 232. & viri doctissimi neoterici idem tenent, praxisque ita recepit, ut testantur *Nav.* & *Manuel proxime citati*: & *Sotus* sibi contrarius videtur hujus sentent. 4. *d.* 41. *q. unic. a.* 2. *fin.* ubi hæc ait: *Si contra justitiam publicæ honestatis aliqui contrahant*, *& expeditissimus non sit ad Papam accessus*, *nullum ejus periculum*, *quamvis Episcopus dispensaret*.

4 Utrum autem delideretur bona fides in contrahentibus, ut Episcopus possit dispensare, non constat inter DD. nam *Enriq. l.* 12. *de matr. c.* 3. *n.* 2. *conv. lit. K.* & *lit. O.* affirmat eam non deliderari: nec alia ducitur ratione, quam quia *Ang. Sylv. Tab. Arm. Nav. Cupua*, *Manuel Ant. Gom. Lud. Lop. Spino Ant. Cuc. Vivald. Vega nu. præc. allegati*, dum conditiones requisitas ad hanc dispensationem explicant, bonæ fidei non meminerunt. Sed dicendum est, eam requiri, & ita eam postulant *Bart. a Ledesf.* & *Lud. Lop. ibi citati*, qui addit post Trident. ita esse tenendum: & in hoc casu *Sotus* quamvis dubius 4. *d.* 37. *q. unic. a.* 2. *vers. Præterea arguitur*, dicit forsan posse Episcopum dispensare: & in eodem casu dicunt esse probabile *Veracr. 3. p. spec. a.* 8. *fi.* & *Corduba. l.* 1. *quæstion. q.* 11. *vers. Hæc igitur secunda opinio*, & probatur ex *Trid. sess* 24. *de matr. c.* 5. ibi, *si quis intra gradus prohibitos sciemer matrimonium contrahere præsumpserit*, *separetur*, *& spe dispensationis consequendæ conveniat*; *idque in eo multo magis locum habeat*, *qui non tantum matrimonium contrahere*, *sed etiam consummare ausus fuerit*. *Quod si ignorantes id fecerit*, *siquidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit*, *eisdem subjiciatur pœnis*. *Non enim dignus est*, *qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur*, *cujus salubria præcepta temere contempsit*. Et ratio est, quia hæc sent. innititur manifestæ æquitati, quæ suadet mentem legislatoris non esse, ut in eo eventu Episcopus nequeat dispensare, sed quando matrimonium est mala fide contractum, mens Pontificis non est iniquitati favere, & perverse contrahentium audaciæ, & ut illa sit facilioris dispensationis occasio, ne quotidie hæc spe celebrarentur matrimonia contemptis impedimentis dirimentibus: quam rationem ruire exposuit *Trid. eo. c.* 5. in illis verbis desumptis ex *c. fin. de immunit. Ecclesiarum*, *Non enim dignus est*, &c. Cum ergo Tridentinum in hoc casu hos mala fide contrahentes spe dispensationis consequendæ perpetuo carere debere statuat, minime poterit Episcopus dispensare. Unde idem dicendum est, quamvis ignorantes contractum sit matrimonium, si solemnitates requisitæ in matr. neglectæ sint: quia idem in hoc casu decernit ibi Trident. Secus autem esset si ignoranter contractum sit matr. & ex Ordinarii licentia solemnitates illæ denunciationum omissæ sint, quia tunc negliguntur, nec temere contemnuntur, quod petit Concilium, ut contrahentes illi spe dispensationis careant: atque ita priorem partem hujus dicti, nempe quando omittuntur denunciationes, non posse Episcopum, sustinet *Lud. Lop. ibid.* subditque idem esse, licet alter solus ex contrahentibus mala fide contraxerit. Sed credo tunc posse Episcopum, quia *Trident. d. c* 5. vocat hanc pœnam, ibi, *Eisdem subjiciatur pœnis*, non autem æquum est puniri innocentem, ob alterius delictum. Sic tenet *P. Joseph. de Acosta lib.* 6. *de convers. Indorum*, *c.* 22. & quidam viri docti neoterici. Rogabis autem quando dicatur mala fides? respondeo non satis esse scientiam speculativam, qua conjux novit se accessisse ad consanguineam ejus, cum qua contrahere vult matrimonium, nisi conjugatur scientia practica, qua sciat inde oriri impedimentum ad matrimonium contrahendum (ut dixi hoc 2. lib. disp. 38. nu. 3.) nec excluditur hæc bona fides, quamvis procedat ex lata culpa, & ignorantia culpabili, ut tradunt *Bart. l. Quod Nerva*, *nu.* 21. *ff. depositi*, *Berojas*, *c.* 2. *de constitut. nu.* 38. & constat, quia *Trident. d. c.* 5. petit, ut scienter præsumatur, ibi: *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit*: dum autem decretum aliquod petit scienter aliquid fieri, excusat ignorantia quantumcumque crassa, & lata culpa, quia vere non dicitur scienter facere, qui ex ignorantia crassa facit, sed dolus requiritur: ut docent *Bart. l. Si adulterium*, *in princip. nu.* 11. *ff. de leg. Jul. super Glossa scienter*. *Bonif. cius ibi*, *n.* 15. *Sylv. verb. Ignorantia*, *qu.* 8. *dict.* 4. *Dominic. c. Et qui de sentent. excomm. in* 6 §. *Ut vero*, *in princ. Nav. c. Accepta*, *de restit. spoliat. opposit.* 8. *illa declaratione* 4. *Cov.* 4. *decr.* 2. *p. c.* 6. 5. 8. *n.* 21. & *c. Alma mater*, *A sabiendas*, *tit.* 18. *p.* 7. *Lud. Lop.* 2. *p. instr. de exromm. cap.* 13. 5. *Sed sum ad* 2. *punctum*: idemque importat illud verbum, Præsumpserit, quod dolum, & temeritatem importat, ut docent *Card. Clem.* 1. *de privil. q.* 39. *Impol. Clem.* 1. *de rescripti. n* 11. *D. Ant.* 3. *p.* 1. *t.* 24. *c.* 54. *col.* 3. *vers. Quæritidem*, *Rosella Absolutio*, *nu.* 46. *Angel. Excommunic.* 5. *casu* 12. *n.* 15. *Sylv. Excommunicatio*, *c.* 84. *Tab. Excommunicatio* 5. *casu* 11. *qu.* 6. *nu.* 7. *Navarr. Lat. c.* 27. *nu.* 155. Unde solum excludetur hæc bona fides, quando ignorantia esset adeo crassa: ut esset ingens temeritas: tunc enim æquipararetur dolo, ut bene tradit *Ant. c.* 2. *de conflit. num.* 9. his verbis: *Quamvis canon requiret dolum*, *comprehenderetur ignorans*, *si in tantum ignorantia esset crassa*, *vel crassissima*, *quæ importaret latissimam culpam*, *& æquipararetur dolo*, idem *Nav. sum. Hisp. c.* 27. *nu.* 54. his verbis, *no se comprehenderia el que por olvido*, *o descuido*, *o por ignorancia*, *a lo menos no muy crassa*.

Ex his infertur, idem dicendum esse, quamvis contrahentes non sint paupères, sed expensas necessarias habeant, ad dispensationem Pontificis obtinendam. Prob. quia etiam in divitibus potest urgens necessitas concurrere, quia vel Roma longissime distat, esset quæ magnum incontinentiæ periculum, tamdiu expectare. Similiter si impedimentum esset ex parte feminæ, quæ consanguineo viri ante matr. contractum, copulata est, nec potest impedimentum viro detegere, quia famæ, & forte vitæ jacturam patiatur, nec potest a viro absque scandalo separari, nec ei negare debitum: cum ergo dispensatio hæc permittatur Episcopo, ratione magnæ necessitatis, quæ urget, ne Pontificis dispensatio expectetur, qua ratione non est commodus ad ipsum recursus: ficut potest Episcopus cum paupere dispensare, qui ratione inopiæ non habet recursum ad Pontificem, poterit similiter quando ratione urgentis necessitatis, & periculi magni in mora, dives caret eodem recursu: Et ita *Sylv. Armil. Tab. Veracr. Ang. Enriq.* quos retuli n. 3. generaliter dicunt, posse Episcopum dispensare, quando non est commodus recursus ad Pontificem, & *Nav. Ant. Cuc. Vivald. Spino*, *ibi allegati* generaliter idem dicunt, quando contrahentium inopia, vel aliquid aliud impedimento est, ne Pontifex consulatur: & *Ant. Gom. ibi* relatus, ait tunc posse Episcopum, quando est periculum in mora consulendi Pontificem. 5

Rogabis autem, quid dicendum, si duo impedimenta dirimentia occulta, cum reliquis circumstantiis explicatis, n. 3. & 4 concurrant, videtur enim tunc non posse Episcopum. Quia in dispensationibus, cum odiosæ sint, mixtum sub simplici non comprehenditur, secundum communem sent. *c. fin. de simonia*, & *l.* 2. *in princ. ff. de verb. obligat.* & assert *Cov.* 4. *decr. p. c.* 6. §. 10. *n.* 12. Sed dicendum est posse. Quia quando delegatur seu committitur alicui dispensatio in uno matrimonii impedimento, manifestum est, eum non posse dispensare, repertis duobus; quia mixtum sub simplici non comprehenditur: at cum in hoc casu dicamus, posse Episcopum ex sua potestate ordinaria dispensare, quia reservatio non intelligitur in casu tantæ necessitatis; nihil obest concurrere duo impedimenta; sicut nemo negaret, posse Episcopum absolvere omnino impeditum ire Romam a duplici casu relevato. Et confirm. quia potestas Episcopi in hoc eventu non est ad dispensandum in quodam singulari impedimento, ut sic dicamus mixtum sub simplici non comprehendi, sed ad dispensandum in impedimentis. 6

Et auferim dicere nullius authoris patrocinio freus, posse Episcopum dispensare aliquando in impedimento matrimon. diriment. antequam matrimonium contrahatur, quando urgentissima 7